

Digitized by Google

37
24 A
3

XXXIV. — C —

Digitized by Google

– –– 2. VIII.

Digitized by Google

SYNODVS
ALBANENSIS.

SYNODUS
DIOECESANA
ALBANENSIS

AB

EMINENTIS. AC REVERENDIS. D.

D. FLAVIO

S. R. E.

CARD. CHISIO

EPISCOPO ALBANENSI

Celebrata in Eccleſia Cathedrali

SUB DIEBUS XXV. XXVI. ET XXVII.

MENSIS MAII

Anno à reparata ſalute M DC LXXXVII.

ROMÆ, Typis Io. Iacobi Komarek Bohemi. MDCLXXXIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

INCLYTO CHRISTI MARTYRI S. PANCRATIO

TVAE debuerunt tutelæ, inuicte, ac glorioſiſſime CHRISTI Athleta, Synodalia hæc Statuta conſecrari, quem Cathedralis Eccleſia Albanen. primæuam poſt amplitudinem (in qua olim à Conſtantino Magno fundata, ac munificè conſtituta fuerat, vndeque pro temporum viciſſitudine miſerandum

dum in modum iam exciderat) fauſtiſſimum Titularem, & vniuerſa Diœceſis Patronum ſortita eſt præſtantiſſimum. Tuum proinde erit à DEO OPT. MAX. *(cui in tenerrima adhuc ætate, virili fortitudine, ac omninò impauidus, ſanguinem inter cruentas carnificis manus immolaſti) benignè impetrare, vt eadem, quæ ad reſtaurandam, promouendamque Eccleſiaſticam diſciplinam ſancita ſunt, animabus meæ perexiguæ quidem curæ commiſſis, tuoque validiſſimo patrocinio commendatis proficua exiſtant, atque ſalutaria, vtque ipſamet corde excipientes, iugiter obſeruare ſtudeant, ac demum coronam à Supremo Legiſlatore legem ſeruantibus promiſſam, conſequi mereantur. Me pariter tuo ne deſtituas præſidio, cuius acceptiſſimas apud Diuinum Paſtorem preces imploro, quatenus & Gregem mihi concreditum in viam ſalutis dirigere, & vnà cum ipſo cæleſtis tandem gloriæ conſortium tanquàm villicus fidelis recipi non demerear.*

PRO-

PROLVSIO, ET INDICTIO

SYNODI

DIOECESANÆ ALBANENSIS

IN NOMINE

SANCTISSIMÆ, AC INDIVIDVÆ TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI Amen.

FLAVIVS

Miſeratione Diuina Epiſcopus Albanenſis

S. R. E.

CARDINALIS CHISIVS

Vniuerſo Clero, & ſingulis CHRISTI Fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis Noſtræ ſalutem, & perennem tranquillitatem.

IN ſuſcepti à Nobis Epiſcopatus primordijs Gregem curæ noſtræ, Diuina diſpoſitione commiſſum perſonaliter inuiſere, & vniuerſam Diœceſim paſtorali ſollicitudine, ritèque colluſtrare nequaquam diſtulimus, & quidem omnium, per quæ illa diffunditur, locorum condi-

tionem, Eccleſiaſticorum conſuetudinem, necnon populorum mores dignoſcentes, ea, quæ cultui Diuino, Chriſtianæque diſciplinæ conſona comperimus, confirmare, quæ verò reparatione, aut reformatione, indigebant, ſolertiori, quo potuimus ſtudio, atque vigilantia reſtaurare curauimus. Quod ſanè cum Diuina opitulante Miſericordia non fruſtrà factum fuerit, Diœceſanam Synodum à Sacroſancto Concilio Tridentino ſeriò demandatam, ſecundo iam decurrente Noſtri Præſulatus anno, celebrare decreuimus, quatenus animarum lucrum, rectamque Eccleſiarum diſciplinam opportunioribus, & quæ magis neceſſaria viſa fuerint, decretis conſolidare, ſalubriorumque legum munimine roborare valeamus, omnia ſperantes non ex legalium pœnarum formidine, ſed ex ipſarummet legum affectu fore complenda. Vniuerſis proinde, ac ſingulis, qui tam in Ciuitate Albanenſi, quàm cæteris Diœceſis Noſtræ locis, Beneficijs quibuſcunque Eccleſiaſticis, adhuc ſine cura potiuntur, Presbite-

ſbyteris quoque, ac Clericis tam in ſacris, quàm in minoribus Ordinibus conſtitutis, reliquiſque omnibus ſiue Sæcularibus, ſiue Regularibus, qui de iure, vel conſuetudine adeſſe tenentur, in virtute ſanctæ obedientiæ, necnon ſub pœnis per ſacros Canones iniunctis, ac alijs pro arbitrio noſtro infligendis præcipimus, ac mandamus, vt vigeſimaquinta die proximi menſis Maij, quam pro Synodo inchoanda ſignanter indicimus, clericali habitu induti, omnibuſque documentis eorum Beneficijs, muneribus, ſiue officijs, atque Ordinibus reſpectiuè congruentibus inſtructi, in Eccleſiam Cathedralem ſummo mane conueniant, verbum legis audituri, quod profectò, vt in ipſis non in ſermone tantùm, ſed & in virtute, ac plenitudine multa operetur ex animo peroptamus. Vt porrò id exactiùs ad Omnipotentis DEI laudem, & gloriam perfici queat, vos præcipuè Eccleſiaſticæ militiæ mancipatos enixè in Domino obſecramus, vt modeſtiam, & humilitatem in ieiunio, & oratione induamini, vtque in

§ 2 con-

conuerſatione, verbo, & opere dignè, ac laudabiliter ambulantes, voſmet hoſtias DEO acceptabiles exhibeatis. Vos pariter deuota plebs fidelium, noſtrique in Chriſto IESV dilectiſſimi filij, quorum animæ Nobis fuere concreditæ, orationis ſtudium adhibere perhortamur, vt quæ veſtræ ſunt ædificationis ſalubriter peragere, voſque in viam ſalutis fauſtè dirigere poſſimus. Volumus interim, vt hæc noſtra præſens indictio poſtquam ad Cathedralis Eccleſiæ noſtræ valuas publicata fuerit, vniuerſos, ac ſingulos, quorum intereſt, afficiat, ac ſi eorum vnicuique fuiſſet perſonaliter exhibita, & intimata. Datum Ariciæ in Ædibus noſtræ reſidentiæ die 25. Aprilis 1687.

Flauius Epiſcopus Albanenſis
Cardinalis Chiſius.

Abb. B: de Rubeis Secret.

INDEX CAPITVM
PRIMÆ SESSIONIS.

DE Fide Catholica, & eius Profeſſione. Cap. I. pag. 1
De Sanctorum, eorumque Sacrarum Reliquiarum, necnon Imaginum veneratione. Cap. II. 5
De Feſtorum dierum cultu, ac ſignanter Sancti Pancratij Martyris Cathedralis Eccleſiæ Titularis, necnon de ſeruandis ieiunijs. Cap. III. 9
De Prædicatione Euangelica. Cap. IV. 13
De Doctrina Chriſtiana. Cap. V. 18
De Blaſphemis, Maleficis, Incantatoribus, atque Superſtitioſis. Cap. VI. 22
De Sacramentis in genere. Cap. VII. 25
De Sacramento Baptiſmi. Cap. VIII. 27
De Sacramento Confirmationis. Cap. IX. 30
De Sanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento. Cap. X. 34
De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. XI. 40
De Sacramento extremæ Vnctionis. Cap. XII. 48
De Sacramento Ordinis. Cap. XIII. 51
De Sacramento Matrimonij. Cap. vlt. 58

INDEX CAPITVM.

SECVNDÆ SESSIONIS.

DE vita, & honeſtate Clericorum. Cap.I. 65
De Capitulo, & Canonicis, eorumque Officialibus. Cap.II. 72
De Chori diſciplina. Cap.III. 87
De Parocho, & eius officio. Cap.IV. 90
De Lectione ſacræ Scripturæ, & caſuum conſcientiæ conferentia. Cap.V. 98
De Clericorum Seminario, & Ludi Magiſtris: Cap.VI. 102
De Regularibus, alijſque Exemptis, necnon Eremitis, atque Monialibus. Cap.VII. 105
De Confraternitatibus, alijſque Locis Pijs, & eorum Adminiſtratoribus. Cap.VIII. 115
De illicita, ac damnata Laicorum conuerſatione, & de contractibus vſurarijs. Cap.IX. 125

TER-

TERTIÆ SESSIONIS.

DE Sacroſanctis Eccleſijs, *Altaribus*, & *Oratorijs*. Cap. I. 133
De Celebratione Miſſarum. Cap. II. 139
De Beneficijs, & *eorum reſidentia*. Cap. III. 148
De Proceſſionibus, *alijſque functionibus celebrandis*. Cap. IV. 153
De Funeralibus, & *Sepulturis*. Cap. V. 157
De Legatis, & *pijs diſpoſitionibus*. Cap. VI. 161
De Bonorum Eccleſiarum, *Piorumque Locorum conſeruatione*. Cap. VII. 167
De Foro Epiſcopali, *eius Officialibus*, & *Archiuio*. Cap. VIII. 175
De Synodalium Decretorũ obſeruantia. Cap. vlt. 185

In

IN præſenti Synodo Albanenſis Eccleſiæ à me diligenter perlecta, & conſiderata, nihil continetur, quod contra fidem, ac bonos mores appareat; quinimò recta morum inſtitutio, & orthodoxæ fidei præſcripta piè admodum, & prudenter inſinuantur. Quare digniſſimam reputo, quæ Typis in publicum bonum conſignetur. Dat. Romæ hac die 3. Iulij 1688.

Raphael Fabrettus.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſsimo P. Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſc. Cyrenen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Ioſeph Clarionus Sacræ Theologiæ profeſſor Reuerendiſſimi P. Mag. Sac. Palatij Apoſtolici Socius, Ord. Prædicatorum.

Diœce-

ALBANENSIS DIOECESANÆ SYNODI SESSIO PRIMA

CAPVT PRIMVM.

De Fide Catholica, & eius profeſſione.

§. I. CONSTITVTIONVM noſtrarum Synodalium à Catholica Fide ſumendum ducimus exordium, cui tanquàm præcipuo, quinimò, & ſingulari fundamento totius ſpiritualis ædificij robur inniti, haud eſt ambigendum, & ſine qua Deo quempiam placere nequaquam poſſe compertiſſimum eſt. Omnes proinde, ac ſingulos paſtorali noſtræ ſollicitudini concreditos, in humanæ ſalutis Auctore, cum Apoſtolo Paulo cohortamur, quatenùs Sanctæ Fidei clypeo muniti, nequitiæ ſpiritui obſiſtant, illamque corde retineant, & palàm confiteantur.

§. II. Iam verò Sacri Conc. Trid. *Seſſ.*24. *cap.*12. decreto, Apoſtolicarum item Conſtitutionum, nec non Synodalium, atque generalium Viſitationum diſpoſitionibus inhærentes, mandamus in primis, vt

ipſam omnes mox adnotandi, ſpecialiter profiteri debeant.

Primò quidem, omnes de Dignitatibus, atque Canonicatibus in noſtra Cathedrali prouiſi, & ſanè non modò coram Vicario noſtro Generali, verùm etiam eiuſdemmet Cathedralis Eccleſiæ Capitulo.

Secundò, prouiſi de Beneficijs curatis, aliàs tam iſti, quàm illi, fructibus Beneficiorum deſtituti remaneant, quorũ poſſeſſio eiſdem nequaquam ſuffragetur.

Tertiò, Concionatores antequàm in Aduentu, ſiuè Quadrageſima, prædicationis munus exercendum ſuſcipiant.

Quartò, Confeſſarij tam Sæculares, quàm Regulares, ad ſacramentales in noſtra Diœceſi confeſſiones ſuſcipiendas, pro prima vice admittendi.

Quintò, Lectores publici, tam Theologicæ, quàm Philoſophicæ facultatis antequàm alterutram edocendam aggrediantur.

Sextò, Ludi Magiſtri, tam publicè conducti, quàm qui pueros priuatìm edocendos ſuſcipiunt.

Septimò, Medici ſiuè publicè conducti, ſiuè priuatìm medicam facultatem exercentes, quibus, vltrà Fidei profeſſionem, iuramentum quoque coram Vicario noſtro Generali præſtare demandamus, pro ſeruanda B. Pij Papæ Quinti Conſtitutione, quæ incipit *Super Gregem*, de non viſitandis, nimirùm, ægrotis neutiquam confeſſis, vltrà tres vices, ſub pœnis eadem

dem in Conſtitutione contentis, alijſque arbitrio noſtro infligendis.

§. III. Qui porrò ſic, vt præfertur, Fidei profeſſionem non adhuc emiſere, alijque omnes, qui de iure, ſiuè conſuetudine emittere tenentur, eam coram Nobis in præſenti Synodo præſtare non negligant, ſub pœnis Nobis arbitrarijs, adhuc carcerationis, iuxtà Congregationis Sacri Concilij mentem, in litteris ad Epiſcopum Terracinæ directis, ſub die 29. Auguſti 1580. datis, expreſſam.

§. IV. Nè autem vllo vnquam tempore dubium cadere valeat, quinam huic mandato noſtro obtemperauerint, librum ab Epiſcopali Cancellario præcipimus inſtitui, eundemque in Archiuio noſtro aſſeruandum, in quo nomina, cognomina, dignitates, & munera, diem item, & annum, in quibus vnuſquiſque, & coram quo, Fidei profeſſionem emiſerit, deſcribi volumus; præmemorato inſuper Cancellario iniungimus, vt ſe ſe, tanquàm Notarium rogatum, ſingulis vicibus ſubſcribat. Parochis pariter, Vicarijſque Foraneis mandamus, vt diligentèr inquirant, an quiſquam in præmiſſis obedire neglexerit, & contumaces apud Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem denuncient, quoſque tales compererint, pœnis deſuper expreſſis obnoxios eſſe moneant, & interim ipſos ab eorum munerum, ſiuè profeſſionum exercitio, abſtinere demandent.

§. V. Eandemmet Catholicam Fidem vndequaque illibatam in hac noſtra Diœceſi conſeruare cupientes, ſtrictè prohibemus, nè libri, aut quæuis impreſſa folia, multòque minùs Indulgentiarum ſacris Imaginibus, aut Numiſmatibus annexarum tranſumpta in Ciuitate, ſine Vicarij noſtri Generalis, in alijs verò locis, ſine Foraneorum expreſſa licentia venundentur. Parochis item ſedulam vigilantiam, inceſſantemque curam commendamus, in proprijs reſpectiuè Parochijs inquirendi, an nonnulli ſint de Fide in aliquo ſuſpecti, præſertim ex Sanctiſſimorum Eccleſiæ Sacramentorum, Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, cenſurarum, Sacrorumque Rituum contemptu; quos verò in huiuſmodi, & ſimilibus materijs rectè, ritèque haud ſentire dignouerint, apud Nos denunciare non omittant.

§. VI. Vicarium itidem noſtrum Generalem, ſicut & Foraneos, ac etiam Parochos commonemus, vt maiori, quo poſſunt, ſtudio incumbant, quatenùs in ſpiritualibus exercitijs, quæ in Parochijs habentur, Catholicæ Fidei candor eluceat, præſertim verò attento ſemper obſeruent ſupercilio, an aliqua alicubi ſint inſtituta, circà modum orandi, conuenticula, eaquè nullo pacto, Nobis, aut noſtro Vicario Generali inconſultis, permittant; Si quæ verò, aut palàm, aut clàm haberi animaduerterint, ea incunctantèr omninò diſſipent, atque diſſoluant. Ipſum porrò Generalem Vicarium perhortamur, quatenùs omni cum vigilantia

tia eam Orationis formam ſeruari curet, quam Ritus antiquus, Sanctorumque Patrum documenta tradiderunt; Illam verò perniciosiſſimam, quæ recentèr, ſatanica ſic operante verſutia, inſurrexit, & vulgò *della Quiete* dicitur, nullo prorsùs pacto (ad præſcriptum litterarum circularium Sacræ Congregationis S. Officij in fine Synodi apponendarum) exerceri permittat, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis.

§. VII. Iudæos, quorum perfidia Fidei integritas facillimè lædi poteſt, in Ciuitate, & alijs Diœceſis noſtræ locis, ſine eiuſdem Vicarij noſtri Generalis licentia, & reſpectiuè Foraneorum, commorari vetamus.

CAPVT II.

De Sanctorum, eorumque Sacrarum Reliquiarum, nec non Imaginum Veneratione.

§. I. PIetas Chriſtiana per Sacroſancta Concilia, & Apoſtolicas Conſtitutiones probata, meritò requirit, vt Sancti, qui in Cæleſti Patria, æterna Beatitudine fruuntur, ab vniuerſis Chriſtifidelibus, pro impetrandis à Deo Opt. Max. beneficijs, deuotè colantur, humiliterque inuocentur, prout ab omnibus, & ſingulis paſtorali curæ noſtræ commiſſis coli, ac inuocari peroptamus; Vt autem quodcumq; à rudibus, & ſimplicioribus, in huiuſmodi præſtando cultu, & adhibenda inuocatione, erroris periculum

caueа-

caueatur, Parochis animarum curam gerentibus demandamus, vt eos monitos reddere curent, Sanctorum Imaginibus nequaquam ſecundùm ſe, & abſolutè, ſed tantùm relatiuè ad eos, quos repræſentant, debitam venerationem referendam eſſe, adorationemque præſtandam.

§. II. Publicis in Theatris, ſiuè Plateis, Sanctorum geſta, Nobis inconſultis, repræſentari omninò prohibemus.

§. III. Sacras eorundem Reliquias publicæ venerationi adhùc in Regularium Eccleſijs (niſi priùs à Nobis recognitæ, & approbatæ fuerint) exponi ſimiliter vetamus; eiuſmodi autem noſtræ approbationis, duplex confici volumus Inſtrumentum ab Epiſcopali Cancellario; alterum quidem in peculiari libro conſcribendum, qui in Archiuio Epiſcopali conſeruetur; alterum verò in Armario Eccleſiæ, vbi Reliquiæ ipſæ ſeruantur, cuſtodiendum. Dictum porrò Armarium duabus clauibus occludi præcipimus; quarum vna in Ciuitate apud Vicarium noſtrum Generalem remaneat, altera autem penès Capitulum Cathedralis, vel eius Eccleſiæ Rectorem, ad quam illæ pertinent. In alijs Diœceſis locis vnam ex dictis clauibus Parochus, aliam Vicarius Foraneus, vel alter à Nobis deputandus retineat. Si quæ verò ſint Reliquiæ, legitimis non vallatæ documentis, aut fidei non ſatis probatæ, in aliquo mundo vaſculo conſeruentur.

Quo-

§. IV. Quoties aliquæ ex inſignioribus Reliquijs publicæ fidelium venerationi exponendæ occurrent, debitam ſeruari decentiam iniungimus, conuenienti nimirum diſpoſito luminum apparatu. Eiuſmodi autem expoſitionem nonniſi per Parochos, alioſue Sacerdotes (ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali indutos) quibus de iure, aut more competit, fieri volumus. Omnes inſuper, ad quos ſpectat, ſeù ſpectare poterit, hortamur, vt ante illas reliquis temporibus, vel ſaltèm ſolemnioribus diebus, accenſam lampadem retineant. Ipſas prætereà, poſtquàm aliqua in Eccleſia collocatæ fuerint, exindè extrahi, aliouè ſiuè integrè, ſiuè ex parte, ſine præuia noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis permiſſione, transferri vetamus; & ex malitia extrahentes, animoque illas ſubripiendi aſportantes excommunicationis latæ ſententiæ pœnæ ſubijcimus.

§. V. Parochis, & Eccleſiarum Rectoribus, alijſque omnibus, ad quos pertinet, præcipimus, vt infrà menſem ab huiuſce Conſtitutionis publicatione computandum; Indices, propria ſubſcriptione vallatos, Sanctorum nomina (quorum Reliquiæ in ſuis reſpectiuè Eccleſijs reſeruantur) referentes, ad Archiuium Epiſcopale deferant, ſiuè tranſmittant, inibi peculiari deuinctos filo reſeruandos, indeque ſub pœna arbitrio noſtro imponenda, neutiquam amouendos.

§. VI. Sacras Imagines venundandas, nonniſi præhabita Vicarij noſtri Generalis licentia, per Ciui-

tatem,

tatem, & Foraneorum per reliqua Diœceſis loca, circumferri vetitum volumus. Nullæ porrò in Eccleſijs publicæ venerationi exponantur, antequam ab eodem Vicario noſtro Generali recognitæ fuerint, atque probatæ, iuxtaque formam Ritualis Romani benedictæ, licentia item gratis danda præceſſerit.

§. VII. In diuerſorijs, atque tabernis, nequaquam pro inſignibus apponantur, nè debita Sanctorum, quos repræſentant, reuerentia lædatur, ad quam profectò conſeruandam, omnes, & quaſcunque, tam in pauimentis, quàm in quibuſuis locis minùs decentibus conſtitutas exindè remoueri, & in honeſtioribus, congruentioribuſque collocari; deformatas autem comburi, nec non earum cineres in Sacrarium immitti, præcipimus.

§. VIII. Sacroſanctis in Eccleſijs, vbi ſoli Deo, Beatiſſimæ Virgini MARIÆ, ac Sanctis omnis exhibendus eſt honor, profanum quidquam dedecet apparere; illas idcircò tam intus, quàm extrà, minùs honeſtis, ſeù indecentibus fœdari imaginibus omninò prohibemus.

§. IX. Pias fidelium oblationes, quæ ſacris imaginibus in exteriori parte peculiarium domorum expoſitis offeruntur, non ad earundem dominos, ſed ad Eccleſias Parochiales ſpectare declaramus, eaſque ad pios vſus, pro noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis arbitrio, expendi volumus.

Quo-

§. 10. Quoties aliqua, à Sanctorum in Catalogo cæleſtium Ciuium ritè conſcriptorum, Reliquijs, vel ſacris eorundem Imaginibus, miracula prodire contigerit, ea incunctanter Parochi, ſiue locorum Regularium Superiores, vel alij quicumque, ad quos id ſpectare poteſt, ad Nos, ſeù Vicarium noſtrum Generalem, denunciare teneantur. Quæ verò à viris, ſiue mulieribus ſanctitatis opinione præclaris, non tamen canonizatis, patrari viſa fuerint, ſtatim ad Nos deferantur, & qui deferre abſtinuerint, pœnis in decreto Sacræ Congregationis Concilij ſub die 2. Octob. 1626. habitæ, quod incipit: *Cum Sanctiſſimus*, alijſque in Diplomate fęl. rec. Vrbani Papæ VIII. ſub Dat. 30. Iulij 1634. quod incipit: *Demum*, nec non in alio decreto Sac. Congregationis Rituum, habitæ ſub die 17. Septembris 1659. contentis, ſubiacere ſciant.

CAPVT III.

De Feſtorum Dierum Cultu, ac ſignanter Sancti Pancratij Martyris Cathedralis Eccleſiæ Titularis, nec non de ſeruandis Ieiunijs:

§. I. FEſtiuos dies cultui Dei omnipotentis, & Sanctorum eius addictos, ab omnibus omninò exactiſſimè obſeruari mandamus,

ſtrictèque præcipimus, cùm præſertim in ijs, ex Eccleſiæ præcepto, Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, quiſque fidelis intereſſe teneatur, & in orationibus, Sanctorumque Sacramentorum frequentatione verſari debeat. Omnes idcircò Diœceſis noſtræ Parochos feriò monemus, vt Dominicis quibuſque diebus, inter Miſſarum ſolemnia, feſtos dies, quauis in hebdomada occurrentes, populo prænunciare, eumque ad illorum obſeruantiam hortari non negligant.

§. II. Opera quæcumque mechanica, ſeruileſque labores, in eiſdem haberi prohibemus, ſub pœna ſcutorum duorum, & ſanè pro famulis in hoc delinquentibus, Dominos (niſi illos, ſine eorum ſcientia, aut permiſſione deliquiſſe probauerint) ad huiuſmodi pœnæ ſolutionem obligamus, arbitrio Vicarij noſtri Generalis relinquentes, dictam pœnam, iuxta tranſgreſſionis menſuram, augendi vel minuendi. Nundinas pariter, ſiuè Mercatus haberi: Actus iudiciarios fieri, cauſaſuè (præter quam in caſibus præſtandorum alimentorum, vel excarcerationis faciendæ, alijſuè moram nequaquam patientibus pertractari, mandata item ciuilia quorumlibet Iudicum, tàm contra perſonas, (niſi fortè ſint de fuga ſuſpectæ) quàm contra bona, exequi vetamus, ſub pœna nullitatis, & vlterius (quantùm ad mandatorum executionem

attinet

attinet) ſcutorum viginti quinque, tàm à mandantibus, quàm ab exequentibus, irremiſſibilitèr ſoluendorum.

§. III. Alearum, atque Taxillorum, alioſque publicos fortunæ ludos, in cunctis Diœceſis noſtræ locis, ac etiam priuatos, vbi ſcandalum, & morum deprauationem de facili cauſare poſſunt; publica item hiſtrionum ſpectacula, choreas, nec non vanas repræſentationes, tempore præſertim Aduentus, & Quadrageſimæ, vetitos omninò, & reſpectiuè vetita, nec non vetitas, pronunciamus; ſub pœna ſcutorum decem, pijs vſibus applicandorum. Circulatoribus porrò iniungimus, ne quidquam prælibatis temporibus, ſine licentia, adhuc ſub medicamentorum prætextu, venditare præſumant.

§. IV. Officinarum fores, ab artium quarumcumque profeſſoribus occluſæ teneantur, ſub pœna vnius ſcuti, oſtiolo dumtaxàt pro eorum commoditate adaperto: ad ea verò venditanda, quæ pro victu, vel infirmorum neceſſitate præcisè ſunt neceſſaria, ianuam patere permittimus, pendula tamen tela aliqualiter coopertam; quod ſi vltra commeſtibilia, alia quoque venalia in ijs contineantur, dimidium tantummodò ianuæ adapertum ſinimus, tela ſimiliter pendula, vti præfertur, opertum.

§. V. Edictum pro feſtorum dierum obſeruantia conditum, & in fine præſentis Synodi apponendum, bis in anno, inter Miſſarum ſolemnia, à locorum Parochis publicari mandamus.

§. VI. Super præmiſſis autem gratis aliquando, nunquam tamen ſine rationabili cauſa, Vicario noſtro Generali in Ciuitate, Foraneis alibi, & in eorum defectu, Parochis, diſpenſandi facultatem impartimur.

§. VII. Sancti Pancratij Martyris Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Patroni, atque Titularis, diem feſtum de præcepto, non modò in Ciuitate, ſed & in vniueſa Diœceſi ſtatuimus, atque declaramus; eiuſque Officium ab omnibus, intra limites eiuſdemmet Diœceſis, qui ad horas canonicas tenentur, ſub Ritu duplici, etiam per Octauam, celebrari mandamus; vniuerſos, ac ſingulos vtriuſq; ſexus Diœceſanos in Domino perhortantes, vt pridie eiuſdem diei ieiunium ſeruare ſtudeant.

§. VIII. Parochi ſingulis diebus Dominicis, dum inter Miſſarum ſolemnia, dies feſtos populo denunciant, eundem de ijs, qui Vigilias de præcepto annexas habent, præmoneant, nec non illos, qui vigeſimum primum ætatis annum exegerunt, ad ieiunium teneri, & ieiunantibus, ſemel circa meridiem comedere, ac modicam dumtaxat ſerò refectionem licere declarent.

Qua-

§. IX. Quadrageſimali tempore cibi prohibiti, non in publicis, ſed in deſtinatis tantùm locis, venales exponantur, eoſque non alijs diuendi iubemus, quàm ijs, qui licentiam à Vicario noſtro Generali in Ciuitate, & in cæteris locis à Parochis (gratis quidem, non tamen, niſi alicuius probati Medici atteſtatione præuia) ipſis concedendam exhibuerint. Conrrauenientes ſcutorum trium, pijs vſibus applicandorum, pœnæ ſuccumbant, ad præſcriptum Edicti, in fine Synodi apponendi.

CAPVT IV.

De Prædicatione Euangelica.

§. I. NE propheticum illud Nobis aliquando exprobari contingat eloquium, hoc eſt: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, volumus, ac expreſsè mandamus, vt tam in noſtra Cathedrali, quàm in alijs Diœceſis noſtræ Parochialibus Eccleſijs, Aduentus potiſſimùm, & Quadrageſimæ temporibus, conciones ad populos irrefragabiliter habeantur. Vt autem in re, animarum ſaluti tam neceſſaria, corruptela aliqua, aut vllus vnquam abuſus occurrere nullatenus valeat; diſpoſitiones, quæ inferius enunciantur, adamuſſim ſeruari mandamus.

Et

§. II. Et quidem in primis, Regulares, adhuc in proprijs Eccleſijs, niſi priùs ab eorum Superioribus licentiam, & ſuper ſcientia, ac moribus atteſtationem Nobis, noſtroue Vicario Generali exhibendas obtinuerint, noſtram inſuper, vel eiuſdem noſtri Vicarij Generalis benedictionem petierint, prædicare nequaquam audeant. In Eccleſijs autem extra eorum Ordines, vltra præmiſſam, noſtram quoque licentiam, ſiue Vicarij Generalis obtinere, eamque Parochis in quorum Eccleſijs concionari debebunt, exhibere teneantur, aliàs (iuxtà ſanctæ memoriæ Clementis X. Conſtitutionem ſub xi. Iulij 1670. prouidè conditam, quæ incipit: *Superna*, quamque ad vnguem ſeruari volumus) neutiquam admittantur.

§. III. Conciones nunquam de nocte, ſed tantùm de die in Eccleſijs habeantur, niſi fortè aliter alicuius functionis, ſiuè temporis ratio, à Vicario Generali, & reſpectiuè à Foraneis probanda requirat. Ipſos porrò Prædicatores monemus, vt in eorum concionibus currenti pro tempere Euangelio ſeſe conforment, quos ſanè non immemores exoptamus, ſe Verbi Diuini Præcones eſſe ad animarum ſalutem præcisè promouendam inſtitutos, ac propterea non quæ ſua, ſed quæ Chriſti ſunt, quærere, & à quauis turpis lucri cupiditate alienos eſſe debere, eleëmoſynis tantummodò, à fidelium habi-

habilitate tradi ſolitis ſatis contentos, quas cæteroquin ab ijs, ad quos pertinet, prout par eſt, ſubminiſtrari præcipimus; renuentes autem penès Nos per Parochos, ſiuè penès Vicarium noſtrum Generalem, incunctanter denuncientur.

§. IV. Eoſdem præterea Concionatores ex animo perhortamur, vt populis vitæ humanæ nouiſſima paſſim commemorent, peccati turpitudinem, atque perniciem explicent, blaſphemiæ ſcelus redarguant, inque illud, tamquam deteſtabiliſſimum, ſicut & in odia, nec non inueteratas inimicitias, acriter inuehantur, omnia inſuper, quæ ad ſalutem animarum promouendam magis conferre iudicauerint, ſeriò enunciare ſtudeant.

§. V. Parentes item hortari non negligant, vt ſuos filios in ſancto Dei timore educare, eoſque ad Doctrinam Chriſtianam addiſcendam mittere, nec non vrgere, ſollicitè curent; illoſque ſi in hoc deſides fuerint, mortaliter peccare commoneant.

§. VI. Populos ſimiliter excitent ad Sanctorum frequentiam Sacramentorum, Euchariſtię pręſertim, cuius præſtantiam declarare, & Pœnitentiæ, cuius eſſentiales partes explicare non omittant.

§. VII. A publicandis Indulgentijs, præter eas, quæ à Nobis recognitæ fuerint, penitus abſtineant; earum porrò valorem, quæue pro eiſdem conſequendis iniunguntur, fidelibus enucleare, ſum-

ſummarium quoque Bullæ Cœnæ Domini, ſemel in Quadrageſima populo notificare curent.

§. VIII. Poſtquam Quadrageſimalem curſum expleuerint, de ſpirituali animarum fructu, quem collegiſſe cognouerint, ſicut & de ſcandalis, ſiue abuſibus, quæ, quoſue notauerint, certiores Nos reddere ipſos nequaquam pigeat, quatenus & Nos, ea, quæ magis in Domino expedire iudicauerimus, prouidè adhibere remedia, pro muneris noſtri debito valeamus.

§. IX. Cæterum Concionatores à præmiſſis aberrantes, vltrà arbitrarias à Nobis, pro exceſſus qualitate, infligendas pœnas, nunquam amplius pro prædicationis munere in Ciuitate, & Diœceſi noſtra exercendo, admittendos fore ſciant; nè autem ex ignorantię prætextu excuſari queant, omnibus, ac ſingulis Parochis, ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis mandamus, vt ſtatimac ad eorum Eccleſias, pro habendis ibidem concionibus acceſſerint, præſentem Conſtitutionem noſtram, & circulares ipſis Sacræ Congregationis Concilij litteras ſub 6. Iunij 1680. datas, perlegendas exhibeant. Eiſdem præterea Parochis, & Vicarijs adhuc Foraneis iniungimus, vt ad Doctrinam, quam ijdem Concionatores prædicant, intento attendant ſupercilio, obſeruentque, an Sanctum Dei verbum adulterantes, ad vanas fabulas ſeſe

con-

conuertant, inaniue facundiæ lenocinio, ſeù curioſis quæſtionibus, vel paradoxis, germanum Sacræ Scripturæ, Sanctique Euangelij ſenſum corrumpant. Vbi verò quoſpiam ſic, vt præfertur, aberrantes agnouerint, Nos, ſiuè Vicarium noſtrum Generalem illicò moneant, ad hoc, vt iuxta præmemoratarum circularium litterarum diſpoſitionem, illos ad tempus Nobis benè viſum, à prædicationis exercitio ſuſpendere, aut alia congruentiori ratione compeſcere, nec non tam exitialem Gregi Chriſtiano contagionem, exſcindere valeamus. Vicarij Foranei, qui mandatum hocce noſtrum neglexerint, pœna priuationis ab officio; Parochi verò alijs pro arbitrio noſtro imponendis, obnoxij remaneant.

§. X. Vniuerſos demum Chriſti fideles totis viſceribus obſecramus, vt propriæ ſalutis memores, in Eccleſiam pro audiendis concionibus conueniant, ac propterea mercatoribus, & quarumuis artium profeſſoribus, ſub pœna ſex Iuliorum, pijs vſibus applicandorum, præcipimus, vt eorum officinas, tempore, quo in Parochiali conciones habentur, clauſas retineant, oſtiolo tantummodò, quatenus opus fuerit, adaperto, nec quidquam tunc diuendere præſumant, commeſtibilibus, nec non medicinalibus dumtaxat exceptis.

CAPVT V.

De Doctrina Chriſtiana.

§. I. PAſtoralis officij noſtri debitum id omninò exigere videtur, vt mentis oculos à Grege ſollicitudini noſtræ commendato nunquam auertamus, illumque in Catholicæ præſertim Fidei, & Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis addiſcendis ſtudiosè dirigi curemus, quatenus rudiores potiſſimum ouiculæ ſpiritualibus documentis imbutæ, æternæ ſalutis viam haud ignorantes eandem facilius aggrediantur.

§. II. Omnibus idcircò diebus Dominicis, in ſingulis Eccleſijs Parochialibus immediatè poſt meridiem, omni quidem tempore (Cathedrali, & Collegiatis exceptis, in quibus à menſe Nouembris, vſque ad Paſcha Reſurrectionis, immediatè poſt Veſperas) curent Parochi per dimidiæ ſaltem horæ ſpatium pulſari Campanam, aliamque paruulam per vias Ciuitatis, aliorumque reſpectiuè locorum, in quibus degunt, tinnientem circumduci, ad pueros, atque populos in Parochialem Eccleſiam conuocandos, illoſque poſtquam illuc conuenerint, Doctrinam Chriſtianam, à præclaræ memoriæ Cardinali Bellarmino diſpoſitam per horam cum dimidia, vnà cum eorum Cappellanis,

lanis edoceant, vel ad methodum in fine præſentis Synodi apponendam, ſuper fidei rudimentis inſtruant. Ad huiuſmodi autem pijſſimum, perque neceſſarium opus exactius præſtandum, duos præmaturos, ſibique beneuiſos homines, quos præ cæteris Deum timentes agnouerint, adhibere ſtudeant. Vt porrò facilius prælibato ſummæ pietatis operi ſatisfacere queant, volumus, vt Ludi etiam Magiſtri, omneſque Clerici, iuxtà decreta in Viſitationibus aliàs condita, in Eccleſiam Parochialem pariter conueniant, & Parochos ipſos in eiſdemmet pueris, vti præfertur, edocendis, coadiuuent, diſtributis tamen antea præmemoratis pueris in diuerſas claſſes, prout ipſimet Parochi meliùs, ac opportuniùs iudicauerint. Iam verò ſciant omnes tàm Parochi, quàm quiuis in hoc ſancto opere eorum coadiutores, pleraſque Indulgentias ex nonnullorum Pontificum Conſtitutionibus, præſertim verò Beati Pij V. & Pauli V. fore lucraturos.

§. III. Quod ſi quiquam ex Parochis, aut eorum Cappellanis deſides extiterint, & ex propria culpa Doctrinæ Chriſtianæ exercitium intermiſſum aliquando fuerit, ſingulis vicibus ſcutum vnum ſoluendi pœnæ ſuccumbant; & quatenùs per duas continuas vices, aut quatuor interpolatas in anno, illud prætermiſerint, ſuſpenſionem à Diuinis ipſo

facto per tres menſes incurrant. Quoties autem exercitium eiuſmodi habetur, & quiſpiam eorum conuenire neglexerit, pœnæ dumtaxat vnius ſcuti ſoluendi, pijſque vſibus applicandi ſubiaceat.

§. IV. Ludi verò Magiſtri, huic noſtræ Conſtitutioni contrauenientes, pœnam quinque Iuliorum, vel maiorem ſubeant, pro qualitate contumaciæ. Clerici tandem arbitrarijs pœnis ſint obnoxij, & inſuper ad vlteriores ordines haudquaquam promouendos fore ſciant.

§. V. Ne porrò in huiuſce pij, ſanctique operis exercitio, quidquàm inordinatum occurrat, omniſque exindè exulet confuſio; volumus, vt in Ciuitate Albani, pueri in Cathedrali, puellæ verò in Eccleſia Sanctæ Mariæ *della Rotonda* nuncupatę congregentur; hiſque, ſi fieri poterit, prouectiores ætate mulieres, Deum timentes, fideique rudimentis inſtructiores præſint, eæque vnà cum aliquo Sacerdote, vel ſaltem Clerico, Vicario noſtro Generali, nec non Parocho beneuiſis, charitatiuè, decentique adhibita modeſtia præfatas puellas edoceant. Idipſum ſeruari mandamus in ijs Diœceſis locis, vbi plures extant Eccleſiæ, vbi verò vnica Parochialis exiſtit, duplex inibi claſſis inſtituatur, altera puerorum, puellarum alia, & vtrique reſpectiuè parique formiter præſint qui,vel quæ Parocho benèuiſi, viſæque fuerint.

Cun-

§. VI. Cunctis vlterius Diœceſis noſtræ Parochis iniungimus, vt infra duos menſes à præſentium Synodalium Conſtitutionum publicatione computandos, Indicem conficiant, in eoque pueros, atque puellas à quarto, vſque ad decimum ſextum ætatis annum deſcribant (adiunctis ibidem eorum, & earum reſpectiuè parentum nominibus) ad hoc, vt ſingulis vicibus, quibus in Eccleſiam, ad Doctrinam Chriſtianam addiſcendam, non conuenerint, notari valeant. Præmemoratos itidem parentes crebriùs adhortentur, vt ſuos filios, ac filias ad conueniendum in Eccleſiam Parochialem, deſignatis prout deſuper horis, excitent, & deſides, ac renitentes, vrgeant, eoſdem pariter monitos reddant, plurium propterea annorum, ex Apoſtolicis Indultis, conſequuturos Indulgentiam, quinaria tamen recitatione præuia Orationis Dominicalis, & Salutationis Angelicæ. Præfatus porrò Index, quotannis tempore, quo Status animarum deſcribi ſolet, augeatur, vel minuatur, prout deſcribendorum ætatis ratio poſtulabit. Parochos vlterius perhortamur, vt alium quoque Indicem inſtituant rudium adultorum, quibus priuatìm, eorum pudori conſulentes, faciliori qua poterunt methodo, Doctrinam Chriſtianam edocere non negligant.

§. VII. Ad pueros denique in fidei rudimentis, &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& Chriſtiana Doctrina addiſcendis blanditer alliciendos, præcipimus, vt aliqua frequentioribus, & præſtantioribus tradantur munuſcula, ſiue ſacræ Imagines, pro quibus comparandis, pœnas à noſtrarum Conſtitutionum tranſgreſſoribus ſoluendas (quas Vicarius noſter Generalis, ad pium hoc opus excolendum, neceſſarias duxerit) applicari mandamus, dummodò onus huiuſmodi alicui ſocietati non incumbat.

CAPVT VI.

De Blaſphemis, Maleficis, Incantatoribus, atque Superſtitioſis.

§. I. IN horrendum, atque deteſtabile blaſphemiæ crimen, durioribus, nec non acrioribus, inuehendum eſt pœnis. Nos proindè Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ſignanter Leonis X., ac Beati Pij V. inhærentes, omnes execrandos, tam Clericos, quàm Laicos homines, hæreticales in Deum, & Beatiſſimam Virginem, aliaſque in Sanctos blaſphemias proferentes, pœnas in præcitatis Conſtitutionibus (præſertim verò præmemorati Beati Pij V. ſub die 1. Aprilis 1566. emanata, quæ incipit, *Cùm primum*) præſcriptas, incurriſſe declaramus. Audientes autem, eoſque Nobis, vel Vica-

Vicario noſtro Generali, infra terminum, qui in decreto Sanctæ Inquiſitionis ſub die x. Maij 1666. condito, continetur non reuelantes, pœnis ibidem inflictis ſubeſſe volumus; cuius profectò Decreti, ſicut & prælibatæ B. Pij V. Conſtitutionis (in ea parte, quæ circa blaſphemos verſatur) Summarium bis in anno inter Miſſarum ſolemnia, coram populo, à Parochis perlegi, & explicari mandamus. Ad populum autem ipſum ab eiuſmodi impijſſimi ſceleris enormitate deterrendum, eundemmet, poſt præfatorum Decreti, & Conſtitutionis lectionem, excitent ad fundendas alta voce apud Deum preces, quatenùs Diuina eius operante miſericordia, peccatores à tam impio, fœdiſſimoque crimine, reſipiſcant, & abhorreant.

§. II. Idipſum Confeſſarijs, & Concionatoribus, maiori qua poſſumus efficacitate, iniungimus, vt nimirum & ipſi, aduerſus ſceleſtiſſimos blaſphemos inuehantur, totoque ſpiritus conatu, eoſdem redarguant, ſuis item pœnitentibus, ac etiam populo, abſurdiſſimi huiuſce vitij nequitiam exponant, quatenus ipſos ad illud deteſtandum adducant.

§. III. Quantùm ad Maleficia, Incantationes, nec non Supeſtitiones, quibus Dei Maieſtas, & Omnipotentia læditur, quæue vt plurimùm hæreſim olent, eique proximè accedunt, præcitatum

San-

Sanctæ Inquiſitionis decretum, & pœnas ibidem enunciatas attendi volumus; omnia inſuper, quæ ſuperiùs circa blaſphemos diſpoſuimus, congruè, ac proportionaliter circa Maleficos, Incantatores, atque Superſtitioſos, coaptari intendimus.

§. IV. Tetrum illud perpetuò diuagantium hominum genus, qui vulgò *Cingari* denominantur, ſuperſtitionibus paſſim, diuinationibus, atque ſortilegijs incumbere conſueuit; quapropter Vicarij noſtri Generalis diſcretioni committimus, vt ſupra talium hominum procedendi modum ſolerter aduertat, quoſque ſimilibus vacare nequitijs compererit, meritis pœnis corripiat, eoſue ab vniuerſa Diœceſi expellat. Parochis etiam, Foraneiſq; Vicarijs iniungimus, vt ſeriò circà ipſos inuigilent, ſollicitèque inquirant, an Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptis ſatisfaciant, & Paſchali præſertim tempore confiteantur, ac ſacra Communione ſaginentur. Vbi porrò viros cum mulieribus cohabitare conſpexerint, teſtimoniales ab ipſis contracti matrimonij litteras expoſcant, & in præmiſſis ſuſpectos, penès Vicarium noſtrum Generalem denuncient, qui pro ſua prudentia, iuriſque ordine ſeruato, ipſos corrigat, & nullos prorſus, abſque licentia in ſcriptis (cognita dumtaxat cauſa concedenda) vltra quatuor dies in Ciuitate, cæteriſque Diœceſis noſtræ locis commorari ſinat.

CA-

CAPVT VII.

De Sacramentis in genere.

§. I. CÆleſtis ille Medicus, cuius liuore ſanati ſumus, ad curandos lethales animarum morbos Sanctiſſima in noua, quam inſtituit Lege, tradidit Sacramenta, per quæ omnis vera iuſtitia aut incipit, aut iam cepta creſcit, aut extincta reſurgit. Hæc ſanè, veluti Diuini erga nos amoris, & immenſæ Bonitatis pignora, nec non incomparabilis Miſericordiæ inſtrumenta, piè, reuerenterque tractanda ſunt; ea propter, vt eorum adminiſtratio ſanctitatis plenitudine non careat, & fidelibus, ipſa deſumentibus ad ſalutem proficiat,

§. II. Parochis, omnibuſque alijs illa adminiſtrantibus præcipimus, vt quod gratis acceperunt, gratis quoque retribuant. Caueant itaque in eorum diſpenſatione quidquam cum deſumentibus, adhuc minimum paciſci, ſub pœna cenſurarum, aduerſus Simoniacos in iure expreſſarum.

§. III. Meminerint inſuper, ſancta ſanctiùs eſſe tractanda, ac propterea quoties Sacramenta adminiſtranda ſuſcipiunt, nullius lethalis culpæ ſibi ſint conſcij; decenti item habitu induantur, & vnicuique Sacramento congruenti, omniaque ad vnguem ſeruare ſtudeant, quæ in Rituali Romano, tam circa

eorum peculiares formas, atque materias, quàm circa cærimonias præſcribuntur.

§. IV. Ad ea recipienda nec viri arma deferentes, nec mulieres capite non velato, aut indecenter veſtitæ, vnquam admittantur.

§. V. Quæcumque Sacramenta, non alibi, quàm in Eccleſia conferantur, ijs dumtaxat exceptis, quæ ad infirmos deferri, vel alijs ſubminiſtrari neceſſitas expoſcit; extrà illam, nonniſi de noſtra, vel Vicarij Generalis permiſſione ſuppeditari queant, ſub pœna arbitraria. Si quis autem Sacerdos, cuius haud intereſt, Sacramentorum adminiſtrationem auſu temerario exercere præſumpſerit, pœnis per Sacros Canones inflictis ſuccumbat.

§. VI. In aliena Parochia neutiquam adminiſtrentur, niſi de Noſtra, aut Vicarij Generalis, & proprij Parochi licentia; quoad verò Sacramentum Pœnitentiæ, ea omninò ſeruentur, quæ ibidem ſunt diſpoſita.

§. VII. Sedulam curam adhibeant Parochi, nè quiſpiam Sacramentis, vel ſacramentalibus abutatur, pœnas ſecùs ſubituros nouerint in Apoſtolicis Conſtitutionibus contentas; ea itaque, prout par eſt, cuſtodire, ſuiſque proportionaliter locis diſpoſita, & ſub claui recluſa ſeruari, ſacra itidem ſupellectilia, ac vaſa, quæ pro eorum adminiſtratione ſunt neceſſaria, munda ſemper eſſe ſatagant, atque

nitida,

nitida, nunquam verò lacera, aut confracta.

§. VIII. Populum de eorum efficacia, & fructu, deque diſpoſitione, ac reuerentia, quibus ad illa, prout decet, accedere debet, frequenter commoneant, ſeſeque in ijs adminiſtrandis promptos ſemper exibeant, & tales effectiuè ſe præſtent; quòd ſi defecerint, pœnas arbitrio noſtro infligendas irrefragabiliter ſubituros fore ſciant.

CAPVT VIII.

De Sacramento Baptiſmi.

§. I. Exitialis Adæ Protoparentis noſtri præuaricatio, non ſibi dumtaxat, ſed vniuerſo humano generi ex eius ſemine procreato, miſerandum in modum nocuit, iuxtà illud Pauli ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ità in omnes homines pertranſijt.* Lethalem nihilominus hanc ruinam Chriſtus Dominus reparauit, cum filios hominum, factus & ipſe homo, imiſque cum ſummis ferè æquatis, Deo in ſanguine ſuo reconciliauit, eiſdemque, iuſtitia ſimul, ſatisfactio, ac redemptio effectus, Baptiſmi ſacramentum inſtituit, quando Apoſtolis ſuis dixit: *Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

§. II. In huiuſce primarij Sacramenti, quod ianua eſt cæterorum, adminiſtratione, nefas profectò foret, quòd quidquam eius dignitati, aut ſanctitati diſſonum emergeret, ad quòd ſanè præcauendum, quæ ſequuntur ſtatuenda fore, operæ pretium duximus.

§. III. Vt nimirum Parochi concreditos eorum curæ populos monere, atque edocere debeant, Sanctum hoc Sacramentum ab omnibus, & vbique (vrgente tamen neceſſitate, & debitis forma, & materia adhibitis) conferri poſſe; extrà verò neceſſitatis vrgentiam, in Eccleſijs dumtaxat, & quidem non ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum, nec vltrà dies octo ab infantium natiuitate debere miniſtrari, quam ſanè poſtremam circumſtantiam ſub excommunicationis pœna obſeruari mandamus. Cùm verò caſus emergat, quo infantes in periculo mortis conſtitutos, domi oporteat baptizari, eos poſtmodum, ſi ſuperſtites extiterint, in Eccleſias pro ſupplendis cærimonijs deferri, & Obſtetrices à Parochis diligenter interrogari præcipimus ſuper materia, & forma, per ipſas in Baptiſmi collatione adhibitis. Eiſdem quoque Obſtetricibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus, nè ſe ad finem aliquem illicitum infantes domi baptizaſſe ſimulent, aut negent, vtque ignorantiæ cauſam allegare nequeant, eiſdem

Paro-

Parochis iniungimus, quatenùs ipſas de hacce ſibi impoſita pœna commoneant, & de neceſſarijs ad hoc Sacramentum ritè, ac rectè miniſtrandum, inſtruant; quas verò neſcias, ſiuè indociles cognouerint, ab obſtetricandi miniſterio repellant, curentque præcipuè, nè in eo exercendo, quidquam ſuperſtitioſum, vel nouum aliquod inducant; ipſarummet demum Obſtetricum conſcientiam oneramus, quatenus infantium parentes præmoneant, nè illos in proprio cubili (ſub pœna arbitrio noſtro inferenda) niſi poſt exactum annum, retinere præſumant.

§. IV. Nulli Regulares ad leuandos è ſacro fonte infantulos admittantur, & vnus dumtaxat vir, ſiue vnica mulier hoc munus ſuſcipere permittatur, qui reſpectiuè à Parocho de cognatione ſpirituali, quam in hoc miniſterio præſtando contrahunt, & obligatione, quam ſibi vindicant præmoneantur, inſtruendi nimirum baptizatum ſuper fidei rudimentis, cæteriſque ad ſalutem neceſſarijs; quòd ſi ea, & ipſi ignorauerint, à leuandis à ſacro fonte infantibus omninò reijciantur.

§. V. Linteola, quæ pro infantibus abſtergendis adhiberi ſolent, in profanum aliquem vſum nullatenus applicentur, ſed Eccleſiæ ſeruitio addicta remaneant.

§. VI. Si quis (quod abſit) infantulus, ante ſuſcep-

ſuſceptum Baptiſmum, Parochi interueniente culpa, moriatur, ſuſpenſionis pœna, ipſo facto, à Diuinis ſubiectus ipſe Parochus exiſtat, quòd ſi eiuſdem culpæ reus vltrà duas vices fuerit, depoſitionis pœnam incurrat.

§. VII. Quoties Baptiſmi Sacramentum alicui infantulo miniſtrandum occurrerit, eiuſdem, ſicut & ipſius parentum, nec non illius, qui eundem leuandum ſuſcepit nomina, in libro ſpeciali baptizatorum, omni ſecluſa dilatione, ſeruataque forma Ritualis Romani, deſcribi mandamus, quem profectò librum ante Baptiſmi adminiſtrationem, ſecum à Paroco ad hunc effectum deferri, vel in in fonte baptiſmali diligenter ſeruatum, cuſtodiri; ipſum verò fontem claui, ſeraque recluſum retineri, in eoque cuncta, quæ in huiuſce Sacramenti miniſterio neceſſaria exiſtunt, ſuis quæque locis diſpoſita, atque munda conſeruari iniungimus, iuxtà Viſitationum, tùm Apoſtolicarum, tùm Prædeceſſorum noſtrorum, tùm etiam noſtræ nuper habitæ decreta; quæ quidem omnia, ac ſingula hìc pro repetitis haberi, pœnaſque in eiſdem præſcriptas in ſuo robore manere intendimus.

§. VIII. Si Parochus aliquando alienus infantem quempiam baptizauerit, collati Sacramenti documentum eius parentes ad proprium incunctanter deferre teneantur, qui illud in præmemorato bapti-

baptizatorum libro fideliter, ac prout iacet, tranſcribere nequaquam negligat.

CAPVT IX.

De Sacramento Confirmationis.

§. I. Conditionis humanæ fragilitatem, gracillimumque figmentum conſiderans Chriſtus Dominus, homines, quos per baptiſmalem aquam regenerauit, in fidei firmitate per confirmationis Sacramentum adhuc communire dignatus eſt, quatenus eo roborati, aduerſus diabolicas inſidias, in agone præſertim mortalis huiuſce vitæ conſtituti fortiùs dimicare, & nequiſſimi hoſtis tela retundere, nec non irrita reddere valerent. Iam verò qua ratione miniſtrari, quàue diſpoſitione huiuſmodi Sacramentum ſuſcipi debeat, omnes, & ſingulos paſtorali curæ noſtræ commiſſos commonere præſtat.

§. II. Poſtquam itaque Parochi de tempore, ac loco, vbi præfatum Sacramentum adminiſtrandum erit, ex litteris noſtris didicerint, populos de illius virtute, & efficàcia, nec non de neceſſarijs ad illud ritè, & proficuè ſuſcipiendum præmoneant, quos etiam doceant reiterari ſine ſacrilegio neutiquam poſſe.

Con-

§. III. Confirmandi Parochos ipſos adeant ante octo dies ab eiſdem inſtruendi, quòd ſi fuerint adulti, ante Chriſmatis ſuſceptionem confiteantur, ac propterea volumus, vt tempore, quo illud adminiſtratur, duo ſaltem Confeſſarij in Eccleſia pro ſacramentalibus adultorum confirmandorum ſuſcipiendis confeſſionibus aſſiſtant. Omnibus, ac ſingulis prælibatum Sacramentum ſuſcepturis, ſic, vt præfertur, inſtructis, ſchedulam tradant Parochi Nobis poſtmodum ab illis reddendam tenoris ſequentis.

Die:.. Menſis..... Anni

N. ætatis annorum... filius N.N. & N.N. in Parochia N. Chriſmatis Sacramento confirmari petit; Patrinus erit N. N. ſeu Matrina N.N. ex Parochia N.

Ego N.N. Parochus N. manu propria.

Quam ſanè ſchedulam ſeptennio minoribus nullo modo concedant.

§. IV. Quicumque confirmati fuerint, in particulari libro à Cancellario noſtro deſcribantur, quem in Archiuio Epiſcopali conſeruari volumus, ex eoque, quoties opus fuerit, teſtimonialia extrahantur. Ibidem pariter, vltra confirmatorum, parentum quoque, & Patrinorum, ſiuè Matrinarum nomina adnotentur, locus item, & Parochia, in qua commorantur. Eiuſdemmet libri exemplar

penès

penès ſe Parochi ſemper retineant ad hoc, vt exindè proprias oues hoc Sacramento munitas, dignoſcere, & quas illo deſtitutas comprehenderint, ad ipſum opportuno tempore ſuſcipiendum hortari valeant. Omnia tandem, quæ de recta curæ Parochialis librorum diſpoſitione, atque cuſtodia in titulo de Paroco ſancita ſunt, circa prelibatum confirmatorum librum, adamuſsim obſeruare ſtudeant.

§. V. Singuli Patrini pro ſingulis confirmandis, eiuſdemque ſexus, nec non in ætate ſaltem quatuordecim annorum conſtituti adhibeantur, nunquam tamen natu minores admittantur, quàm ipſi confirmandi, nec ijdem, qui eos in Baptiſmate è ſacro Fonte leuare, ſuper quo iuratæ eorundem aſſertioni ſtandum erit. Porrò ſicut qui confirmati ſunt, rurſus (prout ſuperius perhibitum eſt) confirmari nequaquam poſſunt, ità propemodum, qui hoc Sacramento ſunt deſtituti, Patrini munus ſuſcipere neutiquam valent, à quo, qui fidei rudimenta neſciunt, reijciendi ſunt. Parochi proindè antequam confirmandis prærecenſitam ſchedulam tradant, indagare prouidè curent, an qui ſeſe Patrinos exhibent, ſufficientem, ac neceſſariam habeant rudimentorum fidei ſcientiam. Omnia demum ad vnguem hac in parte ſeruentur, quæ in præcedenti capite de Sacramento Baptiſmi circa Patrinos enunciata ſunt.

§. VI. Quoad ſpiritualem cognationem, quæ in huiuſce Sacramenti ſuſceptione contrahitur, idipſum ſimiliter attendatur, quod in præcedenti capite perhibetur.

C A P V T X.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

§. I. SAluator noſter Chriſtus Dominus in poſtrema, quam habuit cum ſuis Diſcipulis Cœna, memoriam fecit mirabilium ſuorum, Corpuſque ſuum, ac Sanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini, manducandum, atque bibendum, eiſdem porrigens, mirificum ineffabilis Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit; ſuos quippe cùm in hoc mundo dilexiſſet, ipſoſmet adhuc in finem dilexit, admirabilique prorſus portento, & in Cælo adeſſe cum Æterno Patre voluit, & in terris cum filijs hominum commorari non eſt dedignatus. Tantum profectò, tamque incomparabile beneficium, & ſi pari nequeat retributione compenſari (quid enim retribuere Domino poſſumus pro omnibus, quæ retribuit nobis?) maiori ſaltem, quæ adhiberi poteſt, veneratione celebrandum eſt, atq; colendum; ac propterea.

§. II. Quæ in anteacta Viſitatione noſtra ſancita

cita ſunt renouantes, illud in Tabernaculo, ſumma cum vigilantia cuſtodiri mandamus, eoque tam foris, quàm intus decenter ornato, & conopeis diuerſos colores, quibus vti ſolet Eccleſia referentibus cooperto; oſtiolum habeat, ſera, nec non argentea, vel certè deaurata clauicula munitum, & hæc ſemper penès Parochum remaneat. Duæ ibidem Pixides collocentur, nitido mundoque corporali, ſingulis tribus menſibus mutando, ſuperpoſitæ: in vtraque ſacræ Particulæ indeficienter conſeruentur, & earum altera pro deferendo ad ægrotos Viatico, altera pro Sanctiſſimo hoc Sacramento fidelibus in Eccleſia miniſtrando deſeruiat; ea propter ſolertiſſimam Parochi curam adhibeant, vt ſufficiens in ea ſacrarum Particularum quantitas nunquam deficiat, quatenùs ſemper, potiſſimùm verò ſolemnioribus diebus, eorundem fidelium ſacra Communione ſaginari peroptantium deuotioni plenè ſatisfieri queat; ipſæ porrò ſacræ Particulæ octauo quouis die tempore æſtiuo, hyberno autem ſingulis quindecim diebus renouentur, & Pixides fragmentis expurgentur.

§. III. In Parochialibus dumtaxat, nec non Regularium, atque Sanctimonialium, non autem in cæteris quibuſuis Eccleſijs, Auguſtiſſimum hoc Sacramentum aſſeruari liceat, & ante ipſum diu, noctuque lychnum penſilem ſemper ardere curent

 Paro-

Parochi, alijque reſpectiuè, ad quos pertinet, ſumptibus eorundem Parochorum, ſeù Societatum, vel aliorum, quibus de iure, locorumuè more incumbere conſueuit, ſub pœna pro arbitrio noſtro infligenda, ſuſtentandum.

§. IV. Tempore, quo Parochi animarum eorum curæ commiſſarum ſtatum deſcribere ſolent, diligenter perſcrutari ſatagant, quinam ad huiuſce ineffabilis Sacramenti ſuſceptionem capaces exiſtant, & ſufficientem ad illam diſpoſitionem habeant; eoſdem quindecim ante dies à ſolemnitate Paſchali in Eccleſiam Parochialem conuocare, & de illius præſtantia, ac efficacitate, iuxtà inſtructionem ad calcem huius Synodi apponendam, edocere nullatenùs omittant, quatenus ſeſe ad ipſum dignè pro prima vice recipiendum, quantùm humana fragilitas patitur, præparent, & accuratiùs diſponant.

§. V. Nunquam quacunque de cauſa in forma quadraginta horarum, aut alio quouis modo, ſine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis expreſſa licentia, nec quidem in Regularium, aut Confraternitatum Eccleſijs exponatur; quotiès autem prærecenſita præuia licentia, eiuſmodi facienda eſt expoſitio, conueniens luminum numerus adhibeatur, & ibidem duo alternatìm, aut ſaltèm vnus Clericus, veſte talari, & ſuperpelliceo indutus, ſemper

ſemper aſſiſtat ; vnaquæque proinde Parochia argenteum Oſtenſorium, vel ſaltem ex aurichalco confectum, ſed vndequaque deauratum ad hunc effectum habere curet.

§. VI. Quandoquidem ex indiſpenſabili Eccleſiæ præcepto, vniuerſi Chriſti fideles ſemel ſaltem in anno, & ſignanter Paſchali tempore (quod Dominicis Palmarum, & in Albis concluditur) ſua peccata confiteri, & ſacram Communionem ſuſcipere tenentur, incumbant ſeriò Parochi, vt ab omnibus huiuſmodi præcepto Eccleſiaſtico, in propria Parochia ſatisfiat, ac propterea ſingulis annis, Quadrageſimali tempore, animarum ſibi in Domino commendatarum ſtatum exactè deſcribant; deindè verò cunctis, qui tempore Paſchali ad ſacram Menſam acceſſerint, poſtquam pane cæleſti refecti fuerint, ſchedulas tradant impreſſas, debito poſtmodum tempore recolligendas; quos autem ex earum deficientia (facta prius cum præmiſſo ſtatu animarum ſedula collatione) ſiuè aliunde, Eccleſiaſtico huic præcepto haud ſatisfeciſſe cognouerint, eis per trinam inter Miſſarum ſolemnia publicam monitionem (ſuppreſſis tamen nominibus) comminentur, quòd ſi tempeſtiuè Sanctæ Matris Eccleſiæ mandatum exequi non curauerint, infallibiliter ad excommunicationis fulminationem aduerſus contumaces nominatim procedetur.

Exacto

Exacto demum tempore Paſchali, eorundem Contumacium notulam ad Vicarium noſtrum Generalem deferant, qui ſeruato iuris ordine, illos à fidelium conſortio abſciſſos, ſolemniter, atque effectiuè declaret. Cæterùm Parochi in præmiſſis deficientes, ab Altaris miniſterio ſuſpenſi remaneant. Nè verò fraus vlla in ſchedularum diſtributione contingere valeat, ſtrictè præcipimus, quinimò ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda mandamus, nè quiſquam duas, aut plures ſchedulas deſumere præſumat, alteri, aut alijs malitiosè tradendas. Eidemque pœnæ (quam Nobis reſeruatam volumus) ſuccumbant, qui ſubreptas eiuſmodi ſchedulas ſibi tradi curauerint; vtque huiuſce noſtri decreti ignorantiam allegare nemo poſſit, illud quotannis in Dominica nimirum Palmarum, inter Miſſarum ſolemnia à Parochis populo notificari iubemus.

§. VII. Nouerint, quicumque non in propria, ſed in aliena Parochiali ſacram Communionem Paſchali tempore ſuſceperunt, Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepto neutiquam ſatisfeciſſe, ſuper quo à Parochis congruo tempore inter Miſſarum ſolemnia moneantur; quod ſi prærecenſito tempore Paſchali à propria Parochia aliquem abeſſe contingat, ſtatim ac redierit, documentum ſuſceptæ ab eo alibi Communionis ſuo Parocho exhibere, vel infra

octo

octo dies eandem ab eius proprijs manibus ſumere teneantur.

§. VIII. Publici peccatores, puta vſurarij, blaſphemi, concubinarij, proſtitutæ meritrices, ſimileſque iniquitatis filij, ſeu filiæ, coniugati item ſeorsìm ſine legitima, probataque cauſa viuentes, à ſacra deſumenda Communione reijciantur, & penès Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem à Parochis denuncientur, ad hoc vt illos, congruentibus adhibitis remedijs, ad rectam, vnde aberrauerunt, viam, quantùm in Domino poterimus, reuocare ſatagamus.

§. IX. Cùm Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos per modum Viatici deferendum occurrit, omnia, quæ in Rituali Romano præſcribuntur, exactè ſeruare curabunt Parochi, quibus eiuſdem Sanctiſſimi Sacramenti, aliarumque ſodalitatum Confratres (quorum ſpecialiter intereſt) conſuetis induti ſaccis, cum decenti luminum apparatu, aſſiſtere non omittant. Caueant autem Parochi ipſi, nè quiſquam ægrotus abſque ſalutari Viatico, eorum culpa, ſeù negligentia, decedat; eiuſmodi quippè defectum, & criminoſam omiſſionem, viginti ſcutorum pœna, alijſque Nobis arbitrarijs, etiam corporalibus, irremiſſibiliter mulctabimus. Diuturnis proindè morbis laborantes, prægnanteſque mulieres, imminenti

mortis

mortis periculo paſſim obnoxias; non rarò inuiſere, & præmonere ſtudeant, quatenus hoc ſaluberrimo Angelorum pane ſemetipſos frequenter præmunire non negligant.

CAPVT XI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

§. I. POenitentiæ Sacramentum ad fideles Deo reconciliandos, qui poſt ſuſceptam ex Baptiſmate iuſtitiam; in peccati labem denuò cecidere, tunc ſignanter à Chriſto Domino ſalutis humanæ vnico, nec non incomparabili Reparatore inſtitutum fuit, quando ſanctis Apoſtolis, & ex conſequenti omnibus Sacerdotibus, in eandem vocationem aſcitis, dixit. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

§. II. Vt itaque Sacerdotio inſigniti ad ſaluberrimi huiuſce Sacramenti miniſterium vocati ſciant qua illud ratione dignè gerendum ſit, cunctique fideles ſalutarem exindè fructum conſequi valeant, quæ ſequuntur Conſtitutiones, ac monita, præſcribere decreuimus.

§. III. Et quidem in primis, ſi quiſpiam ordine ſacerdotali deſtitutus, ſacramentales confeſſio-

nes

nes excipere, auſu temerario præſumpſerit, pœnæ in Bulla 79. Clementis VIII. (quæ incipit -- *Apoſtolatus*) latæ, reus erit. In eo autem conſtituti, illas ſine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia (in ſcriptis, & examine præuio, gratiſque danda) ſuſcipere, aut fideles à peccatis abſoluere non audeant, niſi in articulo mortis, ſecus pœnis, iuxtà delicti qualitatem noſtro arbitrio infligendis, exiſtant obnoxij. Nulli prætereà quiuis Confeſſarij quantumlibet approbati à caſibus Nobis reſeruatis, niſi de ſpeciali noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia, quempiam abſoluere præſumant, aliàs excommunicationis pœnam incurſuros fore nouerint. Quinam autem ſint caſus huiuſmodi in calce præſentis Capituli cernere eſt.

§. IV. Eandem excommunicationis pœnam ſubituros fore ſciant, abſoluentes à caſibus in Bulla Cœnæ Domini, ſiuè patenter, & manifeſtè, ſiuè dubiè contentis.

§. V. Pro huius Sacramenti adminiſtratione, vel eius occaſione, nihil prorſus, in Sede præſertim confeſſionali recipiant, nec quidquam ſpontè adhùc eleemoſynæ titulo dandum admittant, nec itidem in ſatisfactionem impoſitæ pœnitentiæ pecuniam ad aliquod pium opus deſtinatam, ſibi dari procurent, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus. Eidemmet pœnæ ſubijcimus Confeſſarios

non Parochos, qui poſt exceptas ab ægrotantibus confeſſiones, teſtimoniales eiſdem ſchedulas non reliquerint, proprio poſtmodum Parocho, & Medico per ipſos exhibendas.

§. VI. Regulares ad audiendas ſæcularium confeſſiones admitti cupientes, ſuorum Superiorum ad quos pertinet, dimiſſorias litteras cum atteſtatione, quoad mores deferre teneantur, Nobis, vel Vicario noſtro Generali exhibendas, & in Cancellaria Epiſcopali conſeruandas, peculiari filo colligatas. Librum quoque, eadem in Cancellaria aſſeruandum inſtitui mandamus, in quo illorum nomina, cognomina, & cuius Ordinis exiſtant, quo item in loco, & Conuentu Diœceſis noſtræ commorentur, & ad quantum temporis ad ſanctum hoc miniſterium exercendum admiſſi fuerint, exactè deſcribantur. Omnia tandem circa Regulares pro ſuſcipiendis, vti præfertur, ſacramentalibus confeſſionibus admiſſos, adamuſſim ſeruari volumus, quæ in Conſtitutione fęlicis memoriæ Clementis Papæ Decimi demandantur, quæ ſanè incipit, *Superna*, ſub Datum xi. Kal. Iulij 1670. Eodem vlterius in libro ſæcularium Sacerdotum ad confeſſiones audiendas probatorum nomina, & cognomina, modo, & forma præmiſſis deſcribi ſimiliter iniungimus:

§. VII. Cuiuſuis præterea ſtatus, aut conditionis

tionis Confeſſarij perſcrutari potiſſimùm ſatagant, an pœnitentes ſcientiam eorum habeant, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, & quatenus ignorent, ipſos, quantùm temporis patientur anguſtiæ, charitatiuè inſtruant, vel vt quamprimùm addiſcant, eiſdem in partem pœnitentiæ iniungendæ, iuxtà propriæ conſcientiæ dictamen imponant, aut tandem abſolutionem ſuſpendant, ſi ſic illorum ſaluti opportunum fore cenſuerint.

§. VIII. Confeſſionis ſigillum cautiſſimè cuſtodiendum, arctiſſimèque ſeruandum eſſe, tùm Sacri Canones, tùm etiam quamplures Apoſtolicæ Conſtitutiones præceperunt. Nullus proindè Confeſſarius illud quoquomodo lædere præſumat, quòd ſi temerario, ſacrilegoque auſu ſecus effecerit, pœnas in prærecenſitis Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, aliaſque etiam corporales arbitrio noſtro infligendas, nequaquam effugiet.

§. IX. Plenam, exactamque notitiam quiſque Confeſſarius habere curet Bullæ Gregorij XV. quæ incipit, *Vniuerſi*, aduerſus Sollicitantes conditæ, ſicut & decretorum Sanctæ Inquiſitionis ſub 27. Septembris 1624. emanatorum, quæ circa eandem materiam verſantur, iuxtà quorum diſpoſitionem cuique mandamus, vt ſi quos in confeſſionibus ſuſcipiendis, pœnitentes ab alio, vel alijs Confeſſarijs, ad inhoneſta quocumque modo ſolli-

 citatos

citatos fuiſſe cognouerit, eos ad huiuſmodi ſollicitantes denunciandos obſtringat, & quatenus ſollicitationi conſenſum præſtitiſſe animaduerterit, nequaquam ad illum detegendum teneri commoneat. Caſu autem, quo id perſonaliter exequi renuant, iuratam eorum denunciationem (obtenta tamen prius noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis facultate) in ſcriptis acceptam deferat. Si verò id quoque, aliqua notabili interueniente cauſa, recuſent, abſolutionis beneficium taliter renuentibus ſuſpendat, & ſacram interim (dummodò eorum conſenſus præcedat) Inquiſitionis Congregationem conſulat, quatenùs pro negocij grauitate quid agendum ſit, prouidè decernere valeat.

§. X. Populum docere ſtudeant Parochi ſubſtantiales huius Sacramenti partes, & idipſum Quadrageſimali tempore præſtare curent Concionatores. Sacerdotes approbati illud adminiſtrantes, ſi ſæculares exiſtant, ſuperpelliceum, atque ſtolam adhibeant. Si verò Regulares, ſtolam dumtaxat, ſeruatis in omnibus Ritualis Romani diſpoſitionibus. Non alibi, præterquam in ſedibus confeſſionalibus, & nunquam ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum, ſacramentales (præſertim mulierum, & puerorum) confeſſiones excipiant, niſi vrgens aliqua neceſſitas, ſeù rationabilis ſaltem cauſa aliud exquirat; ab hac tamen lege Principes, Magnates,

Sacer-

Sacerdotes, & Clericos Eccleſiæ inſeruientes, alioſque legitimè impeditos eximimus. Ipſæ porrò ſedes confeſſionales in patentioribus Eccleſiarum locis ſint expoſitæ, & in lateralibus earum partibus, vbi genua pœnitentes flectunt, laminæ non raris, eiſdemque anguſtioribus terebratæ foraminibus, ſacræ item Imagines ſint affixæ: qua verò ex parte ipſimet Confeſſarij ſedent, Bulla in Cœna Domini, necnon caſuum Nobis reſeruatorum notula exponantur.

§. XI. Cùm ægrotantium mulierum domi in lecto decumbentium confeſſiones audiri neceſſitas exquiſierit, id fiat, oſtio cubiculi taliter diſpoſito, vt domeſticorum procul aſtantium non impediatur aſpectus.

§. XII. Parochi in Dominica Paſſionis, iuxtà inſtructionem in fine Synodi apponendam, populum inter Miſſarum ſolemnia commonere non omittant, nè vſque ad maiorem hebdomadam confeſſionem ſacramentalem differat, quo potiſſimùm tempore, tam ipſi, quàm cæteri Confeſſarij Eccleſiaſticis functionibus addicti, ſingulis ſatisfacere nequaquam poſſunt; pueros autem, atque puellas, cum primùm rationis, dolique capaces agnouerint, ad ſemel ſaltèm in anno confitendum vrgeant, & impellant.

§. XIII. Aegrotos prætereà, in ſuis reſpectiuè

Paro-

Parochijs degentes ſæpè ſæpiùs viſitare ſatagant; neuè inconfeſſi decedant, omninò præcaueant; ijs proinde ſalutis monita paſſim tribuere ſtudeant, & vt confiteantur, ſeſeque in ſtatu gratiæ conſtituant, crebrò adhortentur. Eoſdem Medici (quatenus confeſſi neutiquam fuerint) vltra tres vices viſitare abſtineant, quibus idcircò præmiſſæ confeſſionis (iuxtà Conſtitutionis B. Pij V. diſpoſitionem) documentum exhiberi volumus, atque mandamus.

§. XIV. Vt verò, quæ deſuper diſpoſuimus, exequutioni exactiùs, atque faciliùs demandari valeant, Confeſſarios non pigeat, inſtructionem in fine præſentis Synodi adiungendam, frequenter legere, & ſuarum patentium litterarum tenorem, attento ſupercilio conſiderare, quarum ideò formulam Epiſcopali Cancellario dari, & ibidem, quæ potiora cenſuimus,exprimi ex induſtria curauimus.

§. XV. Grauiorum quorundam criminum abſolutionem ſibi poſſe Epiſcopos reſeruare, plurimorum Sacrorum Conciliorum decretis, præſertim verò Tridentini *Seſſ.* 14. *cap.* 7. ſancitum eſt, quibus ſanè adhærentes, eorum quæ ſequuntur, Nobis, noſtroque Vicario Generali reſeruatam volumus, & pro maiori eorundem intelligentia declarationem in fine huius Synodi adiungendam attendi mandamus.

CASVS

CASVS
Epiſcopo Albanenſi reſeruati.

1. Blaſphemia ex conſuetudine, ſiue hæreticalis.

2. Abuſus Sacramentorum, rerumque ſacrarum ad veneficia, artes magicas, ſuperſtitiones, aliauè huius generis.

3. Homicidium voluntariè patratum:

4. Procuratio abortus, adhuc Fœtus inanimati.

5. Inceſtus in primo, & ſecundo Conſanguinitatis, vel Affinitatis gradu, & in cognatione ſpirituali.

6. Sodomia, & Beſtialitas.

7. Carnalis copula cum Sponſa, ante Matrimonium in Eccleſia celebratum:

8. Depoſitio falſi in Iudicio in alterius præiudicium.

9. Legatorum piorum à Notarijs vltrà menſem dilata reuelatio.

CA-

CAPVT XII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

§. I. VAlidiſſimum extremæ vnctionis Sacramentum in fidelium ſubſidium, qui in vltimo vitæ diſcrimine conſtituti ſunt, miſericors, & miſereator Dominus noſter IESVS Chriſtus clementiſſimè inſtituit, quo ſanè roborati, fortiores, ac firmiores ad palæſtram, nec non alacriores redderentur ad palmam.

§. II. Summa idcircò à Parochis eſt adhibenda cura, vt ægrotantes graui morbo correpti, & in extremis laborantes, ſeneſque æuo penè confecti (quos de die in diem morituros dubitari poteſt) proficuo hoc munimine contra diabolicas inſidias tempeſtiuè fulciantur, quod quidem ſemel tantummodò in eadem infirmitate miniſtrare meminerint, non tamen rationis vſu carentibus, aut ſenſibus, vel ſana mente deſtitutis, niſi veriſimile appareat, quòd ſi animi compotes eſſent, eo muniri expoſtulaſſent. Eſt præterea denegandum inpœnitentibus, excommunicatis, & interdictis. Cæterum omnes, & ſingulas cærimonias, quæ in eius ad infirmos delatione, atque adminiſtratione, in Rituali Romano præſcribuntur, ad vnguem obſeruare ſatagant,

§. III. Dum porrò illud miniſtrandum ſuſcipiunt, eius virtutem, quantùm temporis patietur anguſtia, ægrotantibus exponant, fortitudinem ſcilicet, quam confert ad morbi vim excutiendam, ad venialia delenda peccata, & lethalium expurgandas reliquias; ad diabolicas item, quæ tunc temporis vehementiores, acrioreſque eſſe ſolent tentationes expellendas, & gratiam augendam. Eoſdem ſimiliter ad fidei, ſpei, charitatis, ac patientiæ, aliarumque Chriſtianarum virtutum actus eliciendos perhortentur, & aſtantes ad implorandam pro decumbentibus Diuinam miſericordiam inuitent; quidquid tandem ad eorundem ægrotantium promouendam animarum ſalutem conferre poſſe cenſuerint, charitatiuè præſtare ſtudeant, vigilanterque caueant, nè quiſquam illorum ſalutaris huiuſce Sacramenti beneficio deſtitutus intereat, quòd ſi id ipſorum culpa, vel incuria euenire contigerit, pœnis non modò in Sacris Canonibus contentis, ſed alijs pro arbitrio noſtro infligendis, irremiſſibiliter mulctandos fore pro comperto habeant. Iam verò, vt ex parte quoque noſtra ſimilem animarum perniciem præcaueamus, conſanguineis, affinibus, atque domeſticis ſtrictiſſimè prohibemus, nè Parochos Sacramentum hoc miniſtraturos, quauis ex cauſa, aut excogitabili prætextu impedire audeant, neuè ægrorantium ſtatum

occultent; impedientes autem, ſeù occultantes penès nos, vel Vicarium noſtrum Generalem ab eiſdem Parochis deferri mandamus, quatenus aduerſus ipſos pro qualitate delicti procedere valeamus.

§. IV. Meminerint Regulares extremam vnctionem non alibi per ipſos, aut alijs licitè poſſe miniſtrari, præterquàm in eorum Conuentibus, & proprijs Alumnis, excedentes autem vltra hoſce limites, excommunicationis pœnæ fore obnoxios, quæ in Clementina prima de Priuileg. continetur.

§. V. Sacrum infirmorum Oleum, aliaque ſingulis annis renouanda, non aliunde à Parochis deſumantur, quàm à Cathedralis Eccleſiæ Archipresbytero, cuius curæ erit, ea proportionaliter diſtribuere, ita ſanè vt omnibus ſufficiant, deſumentium item nomina in particulari libro deſcribere, & receptorum atteſtationes reportare; caſu verò, quo quiſquam Parochus aliquo impedimento detentus, perſonaliter accedere nequeat, Sacerdotem, ſeù Clericum, vel Laicum mittat, cum capſula, & tribus vaſculis, in quibus ſacra olea erunt reponenda: ipſa poſtmodum capſula claui obſerata, eidem, qui miſſus fuerit, ab Archipresbytero conſignetur; clauis autem epiſtolæ incluſa, ad mittentem Parochum dirigatur.

§. VI. Vetera Olea, quæ ſupererunt, vnà cum goſſipio eiſdemmadente, nouis ſuperuenientibus, ſtatim

ſtatim comburantur, & eorum cineres in ſacrarium reponantur; quod ſi infra annum ex frequenti vſu infirmorum Oleum notabiliter imminui contigerit, itàut in eiuſdem anni progreſſu, illud omninò defecturum timeri poſſit, aliud ab Archipresbytero Eccleſiæ noſtræ Cathedralis ſuſcipiendum ſuperaddatur: ſi verò haberi nequeat, alio ſaltem non benedicto, in longè tamen minori quantitate ſuperinfuſo, reparetur.

CAPVT XIII.

De Sacramento Ordinis.

§. I. VT Eccleſiaſticæ militiæ nomen haud indignè dare queant quicumque in ſortem Domini vocantur, & per ſingulos diſciplinæ clericalis gradus in ſanctitate, & iuſtitia ambulantes ſacerdotali dignitate ritè inſigniri, nec non dominicæ hæreditatis participes fieri meritò valeant, quæ ſequuntur ab eiſdem ad vnguem obſeruanda præſcribimus.

§. II. Promulgato ſcilicet per Nos, vel per Vicarium noſtrum Generalem habendarum ordinationum Edicto, ante menſem à deſignato earumdem celebrandarum die, legitimam proprij Parochi, aliorumuè, in quorum Parochijs per annum

ſaltem commorati fuerint, de Baptiſmi, & Confirmationis ſuſceptione, vitæ, & morum conditione, Sanctorumque Sacramentorum, nec non Doctrinæ Chriſtianæ frequentatione atteſtationem in noſtram Epiſcopalem Cancellariam deferant, aliam pariter exhibeant Magiſtri ſcholæ de ſtudiorum profectu, aliamque Cancellariæ ſæcularis, quod nullo vnquam fuerint criminali delicto inquinati.

§. III. Ad minores, ſacroſue Ordines promouendi vltra præmemoratas atteſtationes, ſpeciale adhuc documentum producant ſuper ætate pro ſingulis requiſita, quodque in habitu, & tonſura Clericali inceſſerint, Choralibus functionibus feſtis diebus interfuerint, Doctrinæ Chriſtianæ exercitio vacare non omiſerint, & Caſuum conſcientiæ conferentijs aſſiſtere non neglexerint; quod item ſacris Ordinibus initiandi (ad præſcriptum Conſtitutionis Sanctæ memoriæ Alexandri Septimi, quæ incipit, *Apoſtolica ſollicitudo*, à Sanctiſsimo Domino Noſtro Innocentio XI. in Cathedra Petri fæliciter ſedente, per litteras Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub 9. Octobris 1682. expeditas, confirmatæ) exercitijs ſpiritualibus in Vrbe incubuerint. Cæterum qui ad ſacrum Subdiaconatus ordinem admitti cupiunt, ad eundem nequaquam promouendos fore ſciant, niſi in ſuſceptis per integrum annum, ſeſe exercuiſſe docuerint.

Poſt

§. IV. Poſt producta, atque recognita deſuper enunciata documenta, ſinguli ſuper ſcientia, quæ cuique Ordini congruit, per Examinatores Synodales probentur (non quidem perfunctoriè, ſed ſeriò, omnique prorſus humana inſpectione; aut paſſione reiecta) an nimirum Prima Tonſura initiandi fidei rudimentis ſint inſtructi, curſimque legere, & aptè ſcribere, Minoribus verò Ordinibus inſigniendi an linguam latinam calleant? Ad ſacros tandem Ordines promouendi an competenti polleant litteratura? Scrutentur adhuc Examinatores, an ordinandi ad effugiendum ſæculare iudicium, ſeù parentum ſuaſionibus ducti ſtatum clericalem aſſumere decreuerint? Vlterius an reddendis rationibus ſint obnoxij? Attento demum ſupercilio obſeruent, an aliqua notabili, ſiuè animi, ſiue corporis nota ſint deturpati, vel ſordidas aliquando artes exercuerint? an cenſura aliqua, ſeù irregularitate ſint irretiti, vel homicidium aliquando patrauerint?

§. V. Porrò ſuper præmiſſis non tantùm præmemoratos Examinatores inquirere, ſed & propriorum reſpectiuè Parochorum teſtimonialia ab eiſdemmet Ordinandis exigere mandamus; ipſis itidem Parochis iniungimus, vt feſto die inter Miſſarum ſolemnia, populum de Ordinandorum deſiderio vernacula lingua commoneant, eique (iuxtà formu-

formulam in fine præſentium Conſtitutionum Synodalium adiungendam) illorum nomina, cognomina, atque natiuitatis locum, titulum inſuper, ſub quo promoueri petunt, nec non obligationem enuncient, qua quiſque infra dies octo reuelare tenetur, an aliquod ſubeſſe cognoſcat impedimentum, nè ad Ordines admittantur, quæue eiuſmodi impedimenta ſint ſpecificare non omittant.

§. VI. Maiores Ordines ſuſcepturi, in Actis Cancellariæ Epiſcopalis de Beneficio Eccleſiaſtico, quod poſſident, ſiuè de Patrimonio ad eorum ſuſtentationem ſufficiente legitimè doceant, quod profectò explicitam ſummam ſcutorum ſaltem quadraginta annuatìm referre debet; Sollicitæ autem, ſtudioſæque Vicarij noſtri Generalis curæ committimus, quatenùs iuridicè ſcrutetur, num eiuſmodi Patrimonium reale ſit; an verò fictitium, vel alicui obnoxium.

§. VII. Sub præciſo, nudoque Patrimonij titulo Clericos haud quaquam admittendos fore ſciant, niſi Eccleſiæ vrgente neceſſitate, vel eiuſdem ſic exigente congruentioris commoditatis ratione, iuxtà Sacri Concilij Tridentini declarationem, quàm Sanctiſs.D.N. INNOCENTIVS Papa XI. per circulares Sacræ Congregationis eiuſdem Concilij litteras de anno 1679. ſub die 13. Maij datas, inuiolabiliter, ſanctèque ſeruari iuſſit.

Qui-

§. VIII. Quicumque ſuper atteſtationibus, quæ ſuperiùs enunciatæ ſunt, requiſiti fuerint, eas inſimulare, aut fallacijs puræ veritati diſſonis componere penitus caueant; vltra enim quàm quòd ipſis irrefragabile vltionis Diuinæ conteſtamur exitium, ſeueriſſimis quoque pœnis, tanquàm periuri à Nobis afficientur.

§. IX. Poſt ſuſceptam idoneitatis ſchedulam, ſeù teſtimoniales litteras, omnes qui ad Ordines, quos ſuſcipere cupiunt, probati fuerint, ad eoſdem debitis temporum ſeruatis interſtitijs, promoueri curabunt, ſtatimque poſt illos ſuſceptos in particulari libro per Epiſcopalem Cancellarium, tanquam Notarium rogatum deſcribantur; ibidem pariter adnotari ſatagant, & quidem infra menſem, qui in aliena Diœceſi noſtris dimiſſorialibus præuijs litteris Ordines ſuſceperunt, quod ſi quis infra præſcriptum tempus adnotari neglexerit, vnius ſcuti per ipſum ſoluendi pœnæ ſuccumbat.

§. X. Qui verò ex aliena Diœceſi in noſtram Ordinandi tranſibunt, eaſdem, vt præfertur, leges proportionaliter tamen ſeruare teneantur, & dimiſſorias propriorum Ordinariorum litteras ad Nos deferant. Si verò in Alma Vrbe incolatum habeant, approbationem adhuc Examinatorum eiuſdem Vrbis, & licentiam Vicarij in ſcriptis, ſub pœna ſuſpenſionis à ſuſceptorum Ordinum exercitio exhibere

debeant

debeant, ad præſcriptum mandati ſanctæ memoriæ Alexandri VII. ab Eminentiſſimo D. Cardinale Vicario ſub die 15. Maij 1664. per Edictum promulgati.

§. XI. Exorcizandi munus, nemo, etiam Regularis, ſine noſtra expreſſa, & ſpeciali licentia, nedum in aliena, ſed nec in propria Eccleſia exercere audeat, & qui licentiam huiuſmodi obtinuerint, antequàm prærecenſitum præſtent exercitium, propriam conſcientiam expiare, & Obſeſſi non modò animæ, ſed & corporis qualitates ſcrutari, atque in ieiunijs, & orationibus probare curent. Dictum porrò exercitium, non alibi, quàm in Eccleſia horis diurnis, nec non ianuis, ac feneſtris apertis, & coram conſanguineis, alijſue pietate præſtantibus porſonis tractare debebunt.

§. XII. Clerici omnes Eccleſiaſticæ militiæ mancipati Eccleſiæ ſeruitio, cui ſunt adſcripti, (iuxtà diſpoſitionem Sac. Conc. Tridentini *Seſſ.23. cap.16. de Reform.*) vel Parochialis, ſi nulli aliæ ſint addicti, incumbere tenentur; ac propterea nullus ad vlteriores Ordines promoueri debet, qui in ſuſceptorum exercitio ſeſe nullatenus occupat, vel Choro feſtis diebus, præſertim ſolemnioribus, publiciſque Proceſſionibus veſte talari, & ſuperpelliceo indutis aſſiſtere parùm curat. Vniuerſis idcircò Parochis, alijſque, quibus competit, ſub pœna ſuſpen-

ſuſpenſionis à Diuinis, ipſo facto incurrenda prohibemus, nè pro eiuſmodi Clericis in præmiſſis deficientibus, atteſtationes ad dictos vlteriores Ordines ſuſcipiendos neceſſarias expediant.

§. XIII. Vt autem quinam in prærecenſito Eccleſiæ ſeruitio præſtando defecerint, palàm innoteſcere valeat, Indicem tàm in noſtræ Cathedralis, quàm Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Sacriſtijs nomina Clericorum, vbiuis reſpectiuè locorum noſtræ Diœceſis commorantium, Ordines inſuper; ſiuè minores, ſiuè maiores, in quibus quique conſtituti fuerint referentem, affigi præcipimus; & propterea librum diſponi iubemus penès præfatarum Eccleſiarum Sacriſtas, vbi fuerint, vbi verò deſiderantur, penès Parochos retinendum, in eoque quiuis Clericus feſtos quoſcumque dies, quibus interfuerit, eiuſque nomen propria manu exarare teneatur, ſuperaddita ad calcem præfatorum Sacriſtarum, ſeù Parochorum ſubſcriptione, quem profectò librum, modo quo præfertur, diſpoſitum, vel eius tranſumptum, eorundem reſpectiuè ſubſcriptione munitum Vicario noſtro recognoſcendum, ſingulis trimeſtribus per eoſdemmet Sacriſtas, & in eorum defectu per Parochos exhiberi mandamus; quòd ſi mandati huiuſce noſtri exequutionem neglexerint, ſi Parochi fuerint, pœnæ Nobis arbitrariæ; Si verò Sacriſtæ, vnius

ſcuti in emolumentum Eccleſiæ erogandi ſubiaceant.

CAPVT VLTIMVM.

De Sacramento Matrimonij.

§. I. INdiſſolubilis nexus Matrimonij à mundi incunabilis, inter primos humanæ generationis fontes à Supremo rerum omnium Auctore conditos (Adamum inquam, & Heuam protoparentes noſtros) compactus, à Chriſto Domino ipſius generis humani Reparatore, temporis adueniente plenitudine, Sacramenti dignitate fuit honeſtatus; omni proindè, qua fieri poteſt ſanctitate, ac pietate recolendus eſt, & conſiderandus, atque perpendendus.

§. II. Quoties itaque de huiuſmodi præſtantiſſimo Sacramento peragendum occurrit, exploranda in primis eſt à Parocho, tam viri, quàm mulieris Matrimonio copulandorum voluntas, & quatenus filij familias exiſtant, perſcrutandum eſt, an parentes conſentiant? Licèt enim eorum aſſenſus neutiquam ſit neceſſarius, decet nihilominus in re tanti momenti, vt filij proprijs parentibus morem gerant, & debitum eorum voluntati præſtent obſequium. Ex diſpoſitione deinde Sac. Conc. Trident.

facien-

facienda eſt inter Miſſarum ſolemnia, triplex in tribus diebus feſtiuis contrahendi Matrimonij proclamatio, ſeù denunciatio. Iam verò aduertendum eſt à Parochis, nè in exploranda, vti præfertur, contrahentium voluntate, verba proferant de præſenti, mutuo quippe, coram duobus teſtibus, accedente conſenſu, verum conſtitueretur Matrimonium, quòd etiam obſeruandum eſt in ſponſalibus de futuro, quæ quidem poſtquàm celebrata fuerint, ſine præuio Vicarij Generalis decreto, & matura cauſæ præcognitione diſſolui nequaquam poſſunt.

§. III. Si contrahentes in diuerſis Diœceſis noſtræ locis incolatum habeant, ab vtriuſque loci Parochis, modo, quo præfertur, faciendæ ſunt denunciationes, abſtinendum tamen erit Parocho mulieris à celebratione Matrimonij ipſi competente, quoad vſque de proclamationibus ab alio ritè factis teſtimonium acceperit; neuter autem antequàm integrè compleantur, earundem teſtimonium dare præſumat.

§. IV. Forenſes, & quoſuis alios alterius Diœceſis contrahere volentes, admittere caueant locorum Parochi, niſi de Vicarij noſtri Generalis licentia, nullo cæteroquin pacto tribuenda, antequàm de libero eorum ſtatu, iuxtà inſtructionem Sacræ Congregationis Sancti Officij, plenè conſtiterit,

quod etiam ſeruari mandamus in viduorum connubijs, donec de priorum reſpectiuè coniugum interitu, legitimis documentis ab eodem Vicario noſtro Generali recognoſcendis, exactè probatum fuerit.

§. V. Præmemoratam triplicis denunciationis proclamationem, ſine Noſtra, aut eiuſdem Vicarij noſtri Generalis licentia, Parochi non prætermittant; quòd ſi prædicta præuia licentia, aliqua prætermittenda occurrat, eam quam proclamant, poſtremam eſſe populo notificent, nec ad Matrimonij celebrationem deueniant, antequam integra dies, in qua vltima denunciatio facta fuerit, omninò decurrat. Si verò poſt vltimam denunciationem bimeſtre dilabi contigerit, & Matrimonium adhuc celebratum neutiquam fuerit, ab eodem celebrando penitus abſtineant, donec noua interueniat noſtra licentia.

§. VI. Quicumque alicuius impedimenti conſcius fuerit, illud ad Parochum deferre non omittat, ſecus excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrat; ipſe verò Parochus pro delati impedimenti reſolutione, ſiuè verum illud ſit, ſiue dubium, ſiuè etiam falſum, ad Nos, aut Vicarium noſtrum Generalem recurrat; qui porrò falſum quidquàm ad Matrimonium dolosè impediendum protulerit, grauiſſimas pœnas pro rei grauitate nequaquam euadet.

Nè

§. VII. Nè autem quiſpiam ab impedimentorum in contrahendis Matrimonijs occurrentium delatione excuſari valeat, Parochi bis ſaltem in anno (temporibus nimirum, quibus nuptiarum ſolemnitates aperiuntur) quænam huiuſmodi impedimenta ſint, iuxtà inſtructionem in fine præſentis Synodi inſerendam, populum inter Miſſarum ſolemnia edocere non prætermittant.

§. VIII. Si nullum, poſt vltimam Matrimonij proclamationem præmiſſam, delatum fuerit impedimentum, Parochus, ſiuè per ſe, ſiuè per alium Sacerdotem idoneum, coram tribus, vel ſaltem duobus teſtibus in Eccleſia Parochiali, ſeù in alia (noſtra tamen, aut Vicarij noſtri Generalis, accedente licentia) contrahentes ad formam Ritualis Romani deſponſare poterit, & quidem de mane, orto iam Sole, ipſis tamen nuptiarum ſolemnitates, temporibus ab Eccleſia vetitis, interdicere meminerit, & quatenus non paruiſſe cognouerit, Vicarium noſtrum Generalem incunctanter monere teneatur.

§. IX. Studiosè inſuper curare ſatagat, vt deſponſandi ad hoc ſanctum coniugij Sacramentum celebrandum, ſacramentali confeſſione expiati, & Sacroſancta Euchariſtia refecti accedant, quibus ſubinde præmonitis, haud in illo principaliter carnis oblectandæ, & concupiſcentiæ explendæ deſi-

deſiderium, ſed bona potiſſimùm ſpiritualia gratiæ, & prolis in pietate Chriſtiana educandæ, eiuſdemque in viam ſalutis dirigendæ ſpiritum fore attendendum, nuptialem benedictionem impertiatur, quæ tamen ad ſecunda, & vlteriora vota tranſeuntibus, nullatenus eſt tribuenda.

§. X. Ante legitimam deſponſationem ſimul conuerſari, multò minus cohabitare caueant omninò Sponſi, quod profectò ſub pœna ſcutorum viginti quinque, pijs vſibus, & pro tertia parte accuſatori erogandorum, vetitum pronunciamus, Parochorum conſcientiam onerantes, quatenus in eiuſmodi praua conſuetudine extirpanda, ſedulò inuigilent, & contumaces ad Nos deferre non prætermittant. Porrò ad perniciosiſsimum hoc malum, animarumque periculum obtruncandum, Matrimonium quantociùs fieri poterit, celebrari ſatagant.

§. XI. Ipſoſmet deſponſandos, ante, vel immediatè poſt primam denunciationem, ſuper fidei rudimentis ijdemmet Parochi examinare curent; quòd ſi neſcios compererint, ad deſponſationem haud admittendos fore moneant, donec ea, quæ ad æternam ſalutem ſunt neceſſaria didicerint; eos etiam ſuper prærecenſitis fidei rudimentis charitatiuè docere ſtudeant.

§. XII. Aduertant tandem, nè coniugati ſeſe à coha-

à cohabitatione ſeiungant; quos autem ſeparari contigerit, ſi paternè moniti non reſipiſcant, Vicario noſtro Generali denuncient, qui ſi nullam compererit legitimam eiuſmodi ſeparationis cauſam, eos, ſeruatis iuris regulis, pœna etiam excommunicationis iuncta, ad concorditer cohabitandum compellat. Cæterum ſi qui rationabili interueniente cauſa, quoad torum ſeiuncti fuerint, eos proprius Parochus, vt ad coniugale inſimul cubile reuertantur, paternis monitionibus hortari ſtudioſè curet.

SESSIO SECVNDA

CAPVT PRIMVM.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.

§. I. ECCLESIASTICAS perſonas potiſſimùm verò in Sacris Ordinibus conſtitutas, eam quam ſortitæ ſunt dignitatem, probis omninò moribus, nec non laudabilis vitæ exemplaritate honeſtare, decorare, ſpectabilemque omnibus reddere, non modò decet, ſed proprij quoque ſtatus debitum, atque ratio requirunt; ſecus quippè, non in ædificationem, ſed in ruinam poſitæ cenſerentur, earumque miniſterium non quidem communi venerationi exponerent, ſed vniuerſali vituperio proſtituerent. Vt igitur omnes, qui ſub noſtra paſtorali cura Eccleſiaſticæ militiæ mancipati ſunt, omnem cenſuram præcaueant, ſeſeque tales præſtent, quales pro eorum conditione ſe exhibere tenentur, ſequentes Sanctiones inſtituere decreuimus.

§. II. Veſtibus nigri, non autem alterius cuiuſcumque coloris omnes tàm Sacris, quàm minoribus Ordinibus inſigniti, ac etiam Prima Tonſura

initiati exterius vtantur, ſub pœnis, quæ in Sacri Concilij Tridentini decretis *Seſſ.* 14. *cap.* 6. continentur, ac illis conſimilibus interiùs. Tonſuram item clericalem deferant amplitudinis eorum Ordinibus congruentis, & comas nutrire caueant.

§. III. Cùm Sacerdotes ad Altaris miniſterium accedunt, publicisuè functionibus interſunt, exteriorem habitum vſque ad talos protenſum habeant, ſecus arbitraria pœna puniendos fore nouerint. Vt verò hac in parte forenſium commoditati conſulamus, in cunctis Eccleſiarum Sacriſtijs veſtem talarem detineri mandamus, qua præfati forenſes Sacerdotes, in Sacrificio peragendo vti valeant. Sacriſtæ autem, qui quempiam ſine huiuſmodi veſte celebrare permiſerint, pœnæ depoſitionis ab officio ſint obnoxij. Idipſum ſeruare volumus quoſcumque Clericos, dum Choralibus, aut alijs quibuſuis Eccleſiaſticis functionibus aſſiſtunt, quos quidem perhortamur, vt ſemel ſaltem in menſe cæleſti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ pabulo ſaginari non prætermittant, populoque deuotionis, pietatis, iugiſque probitatis præſtent argumenta; ſicque ad ſacros Ordines tranſituri, bonum à proprio Parocho obtinere queant teſtimonium, & ſacerdotalem ſuo tempore dignitatem conſequi meritò valeant. Sacerdotes denique in Domino obſecramus, quatenùs in diebus ferialibus non raró celebrare

brare ſatagant, & in Dominicis, nec non alijs feſtiuis diebus, Deo viuenti ſalutarem Hoſtiam offerre nequaquam abſtineant, Venerabilis Bedæ memores effati, ità proclamantis -- *Sacerdos, non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in eo eſt, priuat Sanctam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, Iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficio, & ſeipſum medicina & refrigerio.*

§. IV. Extranei, vagi, & ignoti, ad Miſſæ ſacrificium celebrandum, nè quidem in Eccleſijs Regularium admittantur, niſi Vicarij noſtri Generalis in Ciuitate, in cæteris verò Diœceſis noſtræ locis Vicariorum reſpectiuè Foraneorum, vel in eorum defectu Parochorum licentiam exhibeant; quam tamen concedi vetamus, niſi per authenticas teſtimoniales litteras, Sacerdotali charactere inſignitos fuiſſe pleniſſimè doceant, Eccleſiarum Rectores, ſiuè Sacriſtæ, qui eos ſine præmemorata licentia celebrare permiſerint, pœnæ vnius ſcuti, in Sacriſtiæ emolumentum erogandi, ſubiaceant.

§. V. A fœminarum quarumcumque conuerſatione prorſus abſtineant Eccleſiaſtici iuriſdictioni noſtræ ſubiecti, & à ſuſpectarum potiſſimùm abhorreant conſortio; quòd ſi quiſquam ſuper hoc delatus fuerit, & legaliter monitus nequaquàm

I 2 reſi-

reſipuerit, pœna ſcutorum decem pro prima vice, & dupli pro ſecunda, alijſque arbitrarijs irrefragabiliter punietur. Aduerſus porrò Concubinarios, ad formam decreti Sacri Concilij Tridentini *Seſſ.*25.*cap.*14. quod incipit, *Quam turpe*, procedi mandamus. Cæterùm quaſuis mulieres, quantumuis honeſtas, adhuc ſub famulatus titulo (niſi prouectioris ſint ætatis, & licentia noſtra interuenerit) in proprijs habitationibus, ſub pœna deſuper enunciata, retineri prohibemus. Eaſdem ſimiliter cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, ſine præuia Vicarij noſtri Generalis permiſſione, legendi, ſcribendi, ſiuè cantandi facultatem edocere vetamus.

§. VI. Cauſas criminales in foro ſæculari patrocinandas aſſumere, vel in eodem ſine eiuſdem Vicarij noſtri Generalis licentia, teſtimonium cum iuramento ferre caueant omninò cuncti in ſtatu clericali conſtituti, quam profectò licentiam, nonniſi cauſa cognita, præſtari volumus. Iudices porrò Laici, & eorum Cancellarij, qui illud ſine prærecenſita licentia receperint, pœnam excommunicationis ipſo facto ſubeant.

§. VII. A iuramento pariter in eodem foro præſtando, & à cauſis ciuilibus ibidem tuendis, prorſus abſtineant, niſi fortè ſint propriæ, vel propriorum conſanguineorum, aut Eccleſiaſticæ, ſeù

vidua-

viduarum, pupillorum, & miſerabilium perſonarum, quo quidem in caſu gratis, & ſolo charitatis intuitu, earundem iura patrocinanda ſuſcipiant.

§. VIII. Publicis Laicorum, & Communitatum Comitijs nequaquàm interſint, nec earundem Communitatum negotia peragenda deſumant, niſi de Vicarij noſtri Generalis licentia, quam concedi tunc permittimus, cùm ſic pietas Chriſtiana ſuaſerit. Nemini prorſus cuiuſuis conditionis exiſtat, vili miniſterio, nec ſæcularibus, in pertractandis eorum negotijs, famulatum præbeant. Prædia aliena, nec directè, nec indirectè conducant, nullis omninò illicitis negotiationibus incumbant, Apoſtolici memores eloquij: *Nemo Deo militans, ſe negotijs ſæcularibus implicat, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Tabellionatus tandem munus in Curia ſæculari exercere non audeant; quicunque autem in præmiſſis deliquerint, pœnis arbitrio noſtro infligendis, irremiſſibiliter mulctandos fore nouerint.

§. IX. A publicis, quantumuis haud inhoneſtis ludis (prout Eccleſiaſticas perſonas decet) penitùs abſtineant, alioquin pœnas ſubibunt arbitrarias; ludos autem taxillorum, nec non alearum, præſertim cum Laicis, vetitos omninò, & expreſsè prohibitos pronunciamus, ac propterea quicunque eiuſmodi ludis vacare comperti fuerint, vltra expoſitæ pecuniæ iacturam, pœna vnius ſoluendi ſcuti, ſi

ſi in minoribus Ordinibus ſint conſtituti, & ad maiores non tranſeundi; Si verò in Sacris, Subdiaconatus nimirum, & Diaconatus, ſcutorum duorum, & ad vlteriores reſpectiuè non progrediendi; Si demum Sacerdotes exiſtant, ſcutorum trium, alijſque pro arbitrio infligendis ſuccumbant; nec non contra eiuſmodi impudentiſſimos luſores, Vicarius noſter Generalis, per inquiſitionem procedere curet.

§. X. Quoties Curiæ noſtræ Epiſcopalis lictores aliquos vltra tertiam noctis horam per Ciuitatem, & Oppida Diœceſis noſtræ ſine neceſſitate, nullaque rationabili interueniente cauſa diuagantes compererint, intempeſtiuam eiuſmodi, nec non ſuſpectam gyrouagationem Vicario noſtro Generali denuncient, qui eos poſt monitionem non reſipiſcentes, pro ſuo arbitratu puniat; quòd ſi ſine habitu Clericali, vel armatos, aut in aliquo actuali delicto, vel exceſſu, tàm de die, quàm de nocte deprehenderint, ipſos ex Officio in carcerem conijciant, arbitrarias, vltra carcerationem, & armorum amiſſionem, pœnas irrefragabiliter ſubituros.

§. XI. Cauponas (niſi itinerantes fuerint, aut aliqua ineuitabili neceſſitate coacti) adire caueant; ſpectaculis item, Choreis, Comœdijs, alijſque minus honeſtis congreſſibus, ſtatui Clericali nimiùm diſſonis, vnde ſcandala prodire poſſint, intereſſe

non

non audeant, multò minus Actores in Theatris fieri, aut perſonati incedere præſumant, qui ſecùs fecerint, vltrà ſcutorum trium ſolutionem, alijs arbitrarijs pro tranſgreſſionis qualitate pœnis corripientur.

§. XII. A profanorum, impuritatem præſertim redolentium librorum lectione, quæ animam ſæpè lædit, bonorumque morum honeſtatem corrumpit, penitùs abhorreant, eoſque tantùm ſæpiùs perlegant, qui Chriſtianam pietatem excitant, & animarum ſaluti conferre noſcuntur. Omnes tandem ſtatui clericali mancipatos in Domino obſecramus, vt Concilij Tridentini Cathechiſmi Romani, & probatorum Theologiæ moralis auctorum lectioni frequenter incumbant; ſignanter verò Parochos hortamur, vt præter enunciatos libros, Rituale Romanum præ manibus habeant, & alios iugiter euoluant, qui de Parochiali cura gerenda, & verbi Diuini prædicatione eorum muneri competente pertractant.

CAPVT II.

De Capitulo, & Canonicis, eorumque Officialibus:

§. I. QVi in Eccleſiaſticæ Dignitatis, ſeù Canonicatus gradu ſunt conſtituti, ſicut pro cuiuſque muneris præſtantia, cæteros Eccleſiæ miniſterio mancipatos præcellunt, ità ſanè eiſdem, doctrinæ ſtudio, morum probitate, vitæ integritate, & in proprijs muneribus accuratè exercendis, præſertim verò laudibus Diuinis in Choro perſoluendis,cæteriſque functionibus obeundis exemplum ſeſe exhibere tenentur; quod profectò vt exactius præſtare queant, infraſcriptas Sanctiones inuiolabiliter obſeruandas iniungimus, firmis cæteroquin, & in ſuo robore manentibus, quæ in limine cuiuſque Capituli fundationis per Conſtitutiones Apoſtolicas demandata ſunt, ac etiam ſingularum Eccleſiarum Regulis, atque Statutis per Prædeceſſores noſtros iniunctis; quod ſi alicubi nullæ adhuc Regulæ, ſeù Conſtitutiones inſtitutæ fuerint, eas ad præſcriptum noſtræ anteactæ Viſitationis (cuius diſpoſitiones Synodalibus hiſce Sanctionibus comprehenſas volumus) quantocius inſtitui præcipimus.

Archi-

§. II. Archipresbyteri,ſiue Abbates, quos animarum curam ſuſtinere, & primum in Capitulis locum obtinere nouimus, ita ſeſe gerere obſecramus in Domino, vt cæteri Capitulares, nec non inferiores Clerici habeant quod in ipſis imitentur. Concreditas ipſiſmet animas omnimodæ charitatis ſtudio proſequi ſatagant, ac propterea quæ in capite de Parochis enunciantur, ad vnguem ſeruare ſtudeant; tranſgreſſores autem pœnis ibidem præſcriptis ſuccumbant. Vt verò nullo in ijs ſeruandis retardentur impedimento, ipſos ab omnibus, extra propriam reſidentiam, negotijs capitularibus peragendis, ſeù Officijs Capituli deſumendis eximimus; quinimò ad illa eligi, vel deputari expreſsè prohibemus, ſub pœna nullitatis eiuſmodi electionis, & alijs tam contra eligentes, quàm acceptantes, pro arbitratu noſtro infligendis.

§. III. Ad perſoluendas in Choro canonicas horas primi conueniant, curentque, ne quidquam ibidem prætermittatur, quod cultus Diuini ratio, tam in pſallendo, quàm in quibuſuis Eccleſiaſticis cærimonijs ritè complendis requirit, præſertim verò ſolerter inuigilent, vt in Officio decantando, Breuiarij Romani, & in Miſſis Conuentualibus celebrandis Miſſalis Rubricæ adamuſſim obſeruentur, debituſque ſtandi, ſedendi, & genuflectendi ordo, iuxtà ea, quæ inferius in capite de Chori

diſciplina trademus, nequaquàm exturbetur, aut aliqua in parte lædatur.

§. IV. In ſolemnioribus anni feſtiuitatibus prærecenſiti Archipresbyteri, nec non Abbates, & in eorum defectu, qui primum inter præſentes locum obtinebunt, adhibitis duobus vltimis ex ordine canonicali, altero in Subdiaconum, altero in Diaconum, Miſſam ſolemniter celebrandam ſuſcipere, aliaſque Epiſcopales, candelarum nimirum, cinerum, & palmarum, nec non cæteras eiuſmodi annuatìm fieri ſolitas functiones obire nullatenùs omittant. Idipſum quiuis Canonici hebdomadarij munere pro tempore fungentes, cum eadem, vti præfertur, aſſiſtentia exequi poterunt. In Veſperis porrò decantandis pluuíalia ſemper adhibeantur; caſu autem, quo præmemorati hebdomadarij, nullo legitimo detenti impedimento, vel eiſdem legitimè impeditis, qui in eorum locum ſuccedent, Miſſam in deſignata hebdomada canere neglexerint, illius diei diſtributionibus deſtituti remaneant, & vlterius illis, qui eorum debitum ſuppleuerint, quatuor Iulios in diebus feſtiuis, & tres in ferialibus indiſpenſabiliter ſoluere teneantur.

§. V. Non abſimili ſtudio Canonici, dato ſolito Campanæ ſigno, ad Eccleſias ſeſe conferant, proprijs quique muneribus, iuxtà tum vniuerſales omnium, tum peculiares ſingularum earumdem

Eccle-

Eccleſiarum Conſtitutiones ſatisfacturi, quos quidem omnes, ac ſingulos perhortamur, vt in fraternæ charitatis vnione copulati, ſeſe inuicem diligant, & viciſſim colant, ac venerentur, Apoſtolorum Pauli,atq;Ioannis memores eloquiorũ, hoc eſt. *Charitas operit multitudinem peccatorum, & Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; rurſuſque alibi -- *filioli diligite alterutrum*. Quod ſi proprij ſtatus, ac vocationis obliti, mutuis ſeſe contumelijs laceſſire, ac pungere, odiaque in aliorum ſcandalum fouere non dubitauerint, à Vicario noſtro Generali moneantur; ſi verò reſipire contempſerint, & in concepto liuore perſiſtere non erubuerint, ab eodem ſeuerè corripiantur.

§. VI. Capitulares tam noſtræ Cathedralis, quàm reliquarum Collegiatarum, infraſcriptos quotannis Officiales, in vltimo Sabbato menſis Decembris, aliquo feſto haud impedito, per ſecreta ſuffragia indiſpenſabiliter eligere teneantur; electiones ſecus factas ex nunc pro tunc, nullas, inualidas, atque inſubſiſtentes declaramus, & pro inſubſiſtentibus, inualidis, ac nullis haberi volumus. Nemini porrò liceat, Officium, ad quod aſſumi contigerit, abſque legitima cauſa, per Vicarium noſtrum Generalem maturè probanda recuſare, ſub pœna ſcutorum decem in Sacriſtiæ emolumentum

erogandorum, & vnicuique ex capitularibus (præſertim verò vbi exiguus eſt Canonicorum numerus) duo non tamen inter ſe incompatibilia, conferri iure poterunt.

OFFICIALES CAPITVLI.

1. Camerarius.
2. Punctator.
3. Chori Magiſter.
4. Secretarius.
5. Syndicus.
6. Archiuiſta.
7. Magiſter Cærimoniarum.
8. Præfectus Sacriſtię.

§. VII. Qui in Camerarium, modo, quo præfertur, electus fuerit, iuramentum in collati ſibi muneris primordio, ſub pœna Nobis arbitraria, de eo fideliter adminiſtrando, adhùc non requiſitus, præſtare, & penès acta Cancellariæ noſtræ Epiſcopalis, ſeù per actum in libro capitulari inſerendum, in forma Cameræ Apoſtolicæ, de ſuæ adminiſtrationis ſeruanda fidelitate, rationeque reddenda, nec non ſoluenda cuique capitulari competenti pro modo ſeruitij Eccleſiæ præſtiti, emolumentorum portione, ſeſe obligare teneatur, & quatenùs id renuat, per Vicarium noſtrum Generalem mulctis pecuniarijs, alijſque ſibi benèuiſis, tam iuris, quàm facti remedijs, compellatur.

Quoſ-

§. VIII. Quoſcumque redditus ad Menſam capitularem quomodolibet ſpectantes, per ipſummet Camerarium ſollicita cura exigi mandamus; ac propterea Maſſam communem, prout in Conſtitutionibus Eccleſiæ Cathedralis §. *Omnium porrò reddituum* diſpoſitum eſt, fieri præcipimus; quatenùs autem ad maiorem Capitularium concordiam, aut alia rationabili de cauſa, magis conferre videatur, vt cuiuis eorum competens reddituum portio tribuatur, id, noſtra dumtaxat licentia præuia, fieri non renuimus, dummodò ſufficiens eorundem reddituum quantitas in Maſſa communi reſeruetur, per ipſum Camerarium adminiſtranda, & pro diſtributionibus quotidianis, nec non ordinarijs expenſis eroganda. Præterea in eiuſmodi caſu, partitarum mandata per Canonicos à Capituli debitoribus exigendarum, ab ipſomet Camerario fieri volumus, quatenùs ſemper, & omninò appareat, Maſſam fore communem. Cæterùm nullus ex Capitularibus præfatum Camerarium in ſuo munere exturbare, aut vllo ſub prætextu, in eius exactione ſe ingerere, vel ſine eiuſdem licentia, ſiuè mandato, vti præfertur, reddituum partitas exigere audeat, & transgreſſores pœnam ſubeant duplum exactę quantitatis reſtituendi, in Eccleſiæ beneficium erogandum.

§. IX. Poſt decurſum cuiuſque ſemeſtris, idem Came-

Camerarius infra decem dies, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis, librum ſuæ adminiſtrationis coram pleno Capitulo exhibeat, quatenus quiſque Capitularis pro ſuo arbitrio receptas, nec non expenſas partitas legere, & cognoſcere valeat. Earum porrò rationem Syndico reddat, ab eodemmet Capitulo deputando. Si quid exinde, ſumptibus deductis, ex redditibus iam exactis ſupererit, competentem cuique portionem incunctanter conſignet, ea tantùm penès ſe pecuniæ parte retenta, quæ Capitulo neceſſaria viſa fuerit, pro oneribus Eccleſiæ ſuccurrendis. Quantùm ad partitas nondum exactas, ſolerter curet, vt eas, infra duorum menſium ſpatium, debitores perſoluant, quo termino dilapſo, niſi de adhibitis vſque ad expeditionem mandati diligentijs edocuerit, eaſdem de proprio ſupplere teneatur; quod ſi omnimodam operam applicuiſſe conſtiterit, nec tamen exactio ſequuta fuerit, debitorum nomina Capitulo exhibeat, & exigendæ pecuniæ portiones Capitularibus proportionaliter diſtribuantur.

§. X. Ab extraordinarijs ſumptibus, ſine Capituli licentia, penitùs abſtineat, ſecus pœnæ illos de proprio exæquandi ſuccumbat: expenſarum verò ritè erogatarum legitimas iuſtificationes Syndico, etiam irrequiſitus, in reddenda ſuæ adminiſtrationis ratione, proferre teneatur, aliàs reijciantur,

quas

quas ſanè iuſtificationes ab eodem Synodico, penès Archiuiſtam reponi volumus, ab eodem in Archiuio conſeruandas.

§. XI. Bini, ſingulis annis, Punctatores à Capitulo nominentur, quorum alter à Vicario noſtro Generali (quem maluerit) eligatur; electus autem de abſentibus à Choro, alijſque Eccleſiaſticis functionibus punctandis, iuramentum in manibus eiuſdem Vicarij Generalis præſtare teneatur, caueat autem quemquam iniuſtè notare. Nullum præterea tanquam præſentem habeat, niſi quem Nos, vel Vicarius noſter Generalis, cauſa præcognita, talem habendum fore iudicauerit; quòd ſi in hoc, aliquo modo defeciſſe compertus fuerit, vltra obligationem reſtituendi de proprio quod eius culpa præſentibus non accreuit, vel iniuſtè notatis decreuit, arbitrariæ pœnæ ſuccumbat.

§. XII. Peculiarem habeat punctationum librum benè diſpoſitum, rectèque chartulatum, in quo abſentes, nec non proprio, ad quod tenentur, muneri, neutiquam ſatisfacientes, in regreſſu ad Sacriſtiam adnotare non negligat. Singulis itidem menſibus punctationum calculationem conficiat, eaſque ſic calculatas, Capitularibus ipſas recognoſcere volentibus, nequaquàm deneget, ac demum Archipresbytero, eodem in

libro

libro ſubſcribendas exhibeat, & propriam ibidem ſubſcriptionem adiungat.

§. XIII. Chori Magiſtri munus illi ſemper incumbere debet, qui primam in Capitulo Dignitatem, & in abſentia, qui primum inter præſentes obtinet locum. Eius curæ erit, vt Officium Diuinum in Choro, & aliæ in Eccleſia peragendæ functiones rectè, necnon iuxta Breuiarij, ac Miſſalis Romani Rubricas procedant, prout ſuperius in §.3. *Ad perſoluendas in Choro*, dictum eſt. Vt inſuper in eiſdem ſeruandis, tam hebdomadarius, quàm cæteri Canonici verſentur, nihilque inordinatè fiat, aut exequendum omittatur.

§. XIV. Secretarius Capituli, omnes, & ſingulos actus capitulares, onclusiones, atque Decreta modo, & forma mox in præſenti Capitulo tradendis §.25. *Pro Capitularibus tractandis*, in libro ad hoc ſpecialiter diſpoſito, & bene chartulato, eoque in Archiuio, vnà cum ſigillo capitulari cautè cuſtodiendo, ſtatim ac à capitulo legitimè congregato conditi, reſolutæ, & reſpectiuè lata fuerint (ne vnquam de varietate dubitari queat) fideli calamo deſcribat, quibus ſic, vt præfertur, deſcriptis, ſuam Archipresbyter immediatè, & propriam deinde ipſemet Secretarius ſubſcriptionem adiungat.

§. XV. Capituli Syndicus, ſenis quibuſque menſi-

menſibus computorum Canonici Camerarij, & adminiſtrationiseius rationes diligenti calculo examinare, & attento ſupercilio recognoſcere, nec non quæ paulò ante in §. 7. *Qui in Camerarium*, & ſequentibus huiuſce capitis tradita ſunt, accuratè obſeruare ſatagat. Expenſarum inſuper partitas ab eodem opportunis documentis iuſtificari curet, ipſaquemet ſibi exhibita, Archiuiſtæ, in Capituli Archiuio prouidè cuſtodienda conſignet.

§. XVI. Solertiſſimè ſcrutetur, an Maſſæ capitularis redditus ex integro exegerit, anue in Capituli, ſeù Eccleſiæ præiudicium partitæ vllæ ceſſerint; earum autem, quas inexactas cognouerit, cauſam ſciſcitetur, & Capitulo referat. Computorum rationes iuxta proprij muneris debitum, bis in ſuæ deputationis anno (ſemel nimirum antequàm Ianuarij, & iterùm antequam Iulij menſes dilabantur) diligenti calculo conſolidet, eaſque ſic conſolidatas Secretario Capituli conſignet, quatenus mandata ſingulis Canonicis tradenda, expedire quantocius valeat; quòd ſi id neglexerit, pœnæ arbitrio noſtro infligendæ, obnoxius exiſtat.

§. XVII. Tam in Cathedralis, quàm Collegiatarum, & Parochialium Diœceſis noſtræ Eccleſiarum Archiuio, omnes ad quamlibet earum ſpectantes ſcripturæ cuſtodiendæ reponantur, illudq; duabus diuerſæ ſtructuræ clauibus (quarum vnam

L Vica-

Vicarius noſter Generalis in Ciuitate, vel alter ex Capitularibus ab eo deputandus retineat, aliam Archiuiſta; in Collegiatis verò vnam Archipresbyter, ſiue Abbas, aliam ſimiliter Archiuiſta) in Parochialibus tandem vnica penès Parochum remanſura occludatur.

§. XVIII. Earundem ſcripturarum in Archiuio exiſtentium, Inuentarium (quatenus non adſit) Archiuiſta infra tres menſes, ſub pœna pro arbitrio noſtro imponenda, adhibitis duobus à Capitulo deſignandis, conficiat, illudque tam ipſe, quàm Canonici deſignati, propria ſubſcriptione conuallent, ad cuius calcem idemmet Archiuiſta teſtimonium de ſcripturis in illo contentis, & ab ipſomet receptis adiungat; ipſum verò Inuentarium modo, quo præfertur, diſpoſitum, eodem in Archiuio reponi, & cuſtodiri mandamus.

§. XIX. Vetitam omninò eidem Archiuiſtæ volumus quarumuis prælibatarum ſcripturarum extractionem, ſine expreſſo Capituli mandato, eoque nullatenus dando, niſi ſic Eccleſiæ vtilitas expoſtulauerit; quas autem extrahi opus fuerit, in libro, ad hoc ſpecialiter diſponendo, propria illorum manu, quibus ipſas conſignauerit, adnotari faciat, quòd ſi eius culpa, vel incuria, aliquam ex deſcriptis in Inuentario deeſſe compertum fuerit, vltra damnorum exindè Capitulo prouenientium refe-

ctio-

ctionem, pœnæ arbitrariæ à Nobis infligendæ, obnoxius remaneat.

§. XX. Quandoquidem in Eccleſiaſticis functionibus, ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriam peragendis, debitus eſt ſeruandus ordo, atque ritus, inde eſt, vt Cærimoniarum Magiſter in Eccleſijs debeat inſtitui, quem ſanè ſingulis annis à quopiam Capitulo eligi, & in ipſius electione eiuſdemmet peritiam, ſufficientiam, & habilitatem attendi volumus; curæ autem, & muneris ipſius erit, vt omnia, quæ Cærimoniarum ritum reſpiciunt, prouidè in primis addiſcat, ac deindè vt cæteri, ea, quæ gerunt in functionibus miniſteria, rectè, ritèque, & exactè perſoluant. Sicut porrò his iniungimus, vt Cærimoniarum Magiſtro in omnibus obtemperent, quæ muneri dirigendarum functionum incumbunt, ita illum hortamur, vt in ſua directione modeſtè, ſeruatiſque prudentiæ regulis, ſe gerat. Cæterum obedire renuentes, Vicario noſtro Generali denunciet, qui pro ſua prudentia, eorum inobſeruantiam redarguat, atque compeſcat.

§. XXI. Sacriſtiæ Præfectum, tam in Cathedrali, quàm in reliquis Diœceſis noſtræ Collegiatis, pro ſacrorum ſupellectilium, ad debitum Deo cultum exhibendum, & Eccleſiaſticas functiones peragendas, conditorum accurata cuſtodia, ſemper

extare volumus, quem per præſentem noſtram Conſtitutionem, vltimum in ordine cuiuſcunque Capituli Canonicum deputamus, eique ſtatim ac ſui canonicatus poſſeſſionem adeptus fuerit, omnia cuiuſuis generis ad Eccleſiam, ac Sacriſtiam reſpectiuè ſpectantia mobilia, adhuc ceras conſignari iubemus; ipſe verò de eiſdem ſibi concreditis, &, vt præfertur, conſignatis, teſtimonium ad calcem Inuentarij, proprio calamo inſerere, & dare teneatur, quatenus eademmet ſuo ſucceſſori, pari ratione conſignari valeant: Si verò quidquam eius incuria, aut culpa deperditum fuerit, illud proprijs expenſis reficere cogatur.

§. XXII. Eius officium tamdiù permanebit, donec alter poſt ipſum Canonicus poſtremum in ordine locum occupaturus ſufficiatur, qui illud omninò ſuſcipere debeat, & renuens, pecuniarijs mulctis, alijſque iuris & facti remedijs, Vicario noſtro Generali benè viſis compellatur.

§. XXIII. Inferiores Clericos Sacriſtiæ ſeruitio, ſi qui ſint deſtinati, prout deſtinari mandamus, eius correctioni ſubijcimus, quos ſi deſides, indiſciplinati, aut malè morigerati fuerint, prouidè corripiat, & incorrigibiles Capitulo denunciet, quatenus de alijs (ne præiudicium Eccleſiæ ſeruitium patiatur) prouidere valeat.

§. XXIV. Quæ deſuper pro Collegiatis ſunt

diſpo-

diſpoſita, à Parochis proportionaliter in proprijs Eccleſijs Parochialibus exequutioni demandari præcipimus, niſi id de iure, more, aut ex officio ad alios pertineat.

§. XXV. Pro capitularibus tractandis, nec non diſcutiendis negotijs, ſemel ſaltem in menſe, Capitulum, modo, prout ſequitur, coadunari mandamus. Perſolutis nimirum, die Sabbati, in noſtra Cathedrali, ſeù alijs Collegiatis, Veſpertinis horis, Campanula ad hunc effectum pulſetur, quo ſigno præhabito, Dignitates, cunctique Canonici, in Sacriſtiam conueniant, inibique Sancti Spiritus inuocatione præuia, prima Dignitas, ſeu qui primum inter præſentes locum obtinet, diſcutienda negotia proponat; nè autem in reſolutionibus, ſiuè rerum occurrentium diſcuſſionibus, vllus pateat iurgijs, vel diſſidijs aditus, ea per ſecreta ſuffragia fieri volumus; quidquid verò reſolutum, vel decretum fuerit, à Secretario coram omnibus capitularibus in peculiari libro deſcribi, ſubſcriptionibus item Archipresbyteri (& in eius abſentia prioris in ordine inter præſentes) nec non eiuſdem Secretarij vallari iniungimus, iuxta normam ſuperius traditam in §. 14. *Secretarius Capituli*. Neceſſitate porrò, aliaue rationabili ſuadente cauſa, idem Capitulum ſæpius congregetur, intimatione tamen præuia, per Sacriſtam minorem, vel aliquem Clericum

ricum Sacriſtiæ inſeruientem omnibus Capitularibus de mandato Archipresbyteri, vel ipſo abſente, prioris in ordine præcedenti die facienda. Emolumenta, ſi quæ hoc in caſu diſtribuenda contingent, inter omnes, adhuc abſentes, proportionaliter diuidantur; quod ſi quidquam ex præmiſſis, in capitulari congreſſu ſeruatum nequaquàm fuerit, illud, & omnes ibidem factas reſolutiones nullum, & nullas ex nunc pro tunc declaramus. Demum, ſi quæ in eiuſmodi congreſſibus pertractanda, aut diſcutienda occurrent, ad aliquem Capitularem, vel eius conſanguineos aliquo modo pertinentia; illum Capituli Præfectus, vt egrediatur, vel antecedenter, vt intereſſe abſtineat, præmonere poterit.

§. XXVI. Ad omnem prorſus è congreſſibus capitularibus confuſionem eliminandam, hanc regulam ſeruandam indicimus, vt nimirum abſente Archipresbytero, vel Abbate, qui primum inter præſentes locum obtinet, negotia reſoluenda proponat; eademque facultate vti poterunt Officiales, cæterique Capitulares, cum ipſis quidquam proponendum occurrerit, quod eorum reſpectiuè officium, vel eiuſdemmet Capituli commodum reſpicit, ſiue communem vtilitatem.

§. XXVII. Meminerint Capitulares, Deo, in fine Capituli, gratias referre, quibus, vt fas eſt, redditis, debito ordine omnes egrediantur.

CA-

CAPVT III.

De Chori Diſciplina.

§. I. PRæcipuum Clericorum munus illud eſſe compertiſſimum eſt, vt nimirum intentiſſima mentis, animique applicatione, ad ea potiſſimùm incumbant, quæ Diuinum Cultum, necnon exactiorem perſoluendarum Deo Opt. Max. laudum rationem reſpiciunt, quocirca, vt ſanctius, religioſius, atque diligentius in Eccleſijs noſtræ Diœceſis præmiſſa præſtentur, ea, quæ ſequuntur, ſtatuenda, operæ pretium exiſtimamus.

§. II. Quicumque Beneficij alicuius Eccleſiaſtici ratione, vel alio quouis titulo, ſiuè cauſa Chori ſeruitio ſunt mancipati, ibidem ſub pœnis per Sacros Canones indictis, intereſſe non prætermittant; & quidem veſtibus proprio gradui, & Ordini congruentibus induti, ac ſuperpelliceo aſſumpto, ad normam Conſtitutionum, & peculiarium cuiuſque Eccleſiæ Sanctionum.

§. III. Vt autem tempus conueniendi omnibus innoteſcat, volumus, & ſub pœna arbitraria mandamus tabellam horariam, infra menſem, à publicatione præſentium Synodalium Sanctionum computandum, tum à Capitulo, & Canonicis no-

ſtræ

ſtræ Cathedralis, tùm etiam cæterarum Collegiatarum, & ab alijs, quibus id quomodocumque competere poteſt, in patentiori Sacriſtiæ loco affigendam, ibidemque iugiter retinendam inſtitui, quæ quidem diſtinctè (ſeruata tamen temporum diuerſitate, ſingulorumque menſium proportione, atque menſura) præciſas horas referat, in quibus Diuinum Officium, iuxtà ſuas partes in Choro, & Miſſa conuentualis in Eccleſia peragenda ſunt; Eiuſmodi autem ordine ſemel inſtituto (niſi aliter alicuius publicæ functionis ratio requirat) nequaquam mutari præcipimus, ſub pœna ſcuti vnius, ſingulis vicibus, tàm à mandantibus, quàm ab exequentibus irrefragabiliter ſoluendi.

§. IV. Qui antè finem Pſalmi *Venite exultemus* in Matutinis, & primi Pſalmi in reliquis horis, poſtremi item *Kyrie eleiſon* in Miſſa, Choro non adfuerint, illius horæ diſtributione careant, niſi aliter per ſpecialia ſingularum reſpectiuè Eccleſiarum Statuta, legitimè tamen probata, diſpoſitum fuerit. Poſtquam verò ibidem conuenerint, exindè ante Canonicas horas, & Diuina Officia ex integro perſoluta recedere nemo præſumat, excepto dumtaxat neceſſitatis caſu, in quo venia à Chori Præfecto, modeſto vultu petenda eſt.

§. V. Caueant omnes in Choro à colloquijs, ſed ea, qua par eſt, attentione, atque deuotione, lau-

laudes Diuinas perſoluant, non quidem curſim, ac præcipitanter, ſed competenti in vnoquoque Pſalmi verſiculo interpoſita pauſa: qui ſecus fecerint, vel anſam aliter faciendi alijs dederint, tanquàm abſentes habeantur, quin etiam prò tranſgreſſionis menſura, atque frequentia, grauioribus pœnis à Vicario noſtro Generali plectantur.

§. VI. Ad vitandam porrò omnem in Choro colloquiorum occaſionem, ibidemque debitam attentionem, atque deuotionem ſeruandam, quiſque in proprio loco conſiſtat, indeque non recedat, quouſque ad commune Antiphonarium, atque Graduale accedere tempus exquiſierit; ſinguli poſtmodùm in proprium locum denuò reuerſuri, & ſine diſſonantia, ritèque, ac rectè in ſuo cantu proceſſuri.

§. VII. Quantum ad ſtandi in Choro, ſedendi, inclinationes faciendi, genuaue flectendi rationem attinet, Cærimonialis Romani normam, necnon Miſſalis Rubricam, ſeruari mandamus, quarum ſummarium à Chori Præfectis, & Cærimoniarum Magiſtris cuiuſque Capituli, quantocius fieri, & in protenſo folio tranſcribi, illudque in aliqua Chori parte, quæ congruentior viſa fuerit, affigi volumus; qui autem normam in præfato ſummario tranſcriptam prætererint, diſtributione

illius horæ, in qua defecerint, deſtituti remaneant, & tanquàm abſentes à Punctatore notentur.

CAPVT IV.

De Parocho, & eius Officio.

§. I. CHriſti Domini ſanguinem in animarum redemptionem misericorditer effuſum, concreditum ſibi fuiſſe meminerint Parochi, ac propterea, non ad proprium ſouendum commodum, aut temporale curandum lucrum, ſed ad laborioſum commiſſi ſibi gregis nunquam negligendum regimen, ſolertemque, ac vigilantiſſimam eiuſdem habendam cuſtodiam, fuiſſe vocatos.

§. II. Caueant itaque extra propriæ Parochiæ limites pernoctare ſine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis, nunquàm tamen concedenda, niſi deputato prius aliquo Sacerdote, per Nos probando, ſi Cappellano Coadiutore careant. Contrauenientes tàm Parochi, quàm Cappellani in eorum Coadiutores aſſumpti, pœnam ſubibunt ſcutorum quinque per ipſos ſoluendorum, aliaſque arbitrarias, iuxtà circumſtantias contumaciæ infligendas.

§. III. Per ſeipſos in quantùm poterunt Parochia-

rochialia munera exercere, & Eccleſiæ Sacramenta populo miniſtrare ſatagant, haud immemores ſe Deo, propriæque conſcientiæ, ac debito, ſecus nequaquàm ſatisfacturos, quin etiam ſciant grauiſſimis pœnis à Nobis fore mulctandos, ſi integram animarum curam in eorum Cappellanos refundere non dubitauerint.

§. IV. Vbi Parochiæ indigentia, vel eiuſdem conſuetudo, aut ipſorummet Parochorum obligatio, ex Apoſtolicarum Conſtitutionum præſcripto, ſeù Prædeceſſorum noſtrorum decretis, eiuſmodi Coadiutorum Cappellanorum opem expoſtulauerit, eos nullo ſub prætextu dimittere præſumant, ne Eccleſia, ex eorum deficientia, debito famulatu, & populus neceſſaria in ſpiritualibus aſſiſtentia defraudetur. Parochi itaque prælibatos Cappellanos, dimittentes, ſtipendij eiſdem aſſignati, in emolumentum Eccleſiæ erogandi, & per ipſos ſoluendi, pœnæ ſuccumbant.

§. V. Dominicis, & Feſtis quibuſque diebus, hora congruentiori, & populi commodo magis opportuna, Sacrum in proprijs Eccleſijs peragere, illudque pro ſibi commiſſis Ouibus, iuxta reſolutionem à Sacra Congregatione Concilij, ſub 10. Maij 1681. latam, applicare non prætermittant, tribus quoque alijs in hebdomada ſaltem vicibus (niſi loci neceſſitas, aut conſuetudo plures exigat)

celebrare non negligant. Iniuncti præterea (tàm per Apoſtolicas Conſtitutiones, & ſæpius ſub cenſurarum comminatione, per Sac.Concil.Trident. Sanctiones, quàm per Synodalia Prædeceſſorum noſtrorum Statuta, ſub pœnis ibidem expreſſis) ſibi oneris memores exiſtant, prærecenſitis diebus Dominicis, alijſque feſtiuis, dum Sacrum conficiunt, populum cæleſti pabulo, & ſalutari Verbi Diuini alimento paſcendi, horribilem eidem peccati deformitatem, nec non exitialem prauitatem, quatuor quoque nouiſſima humanæ vitæ inſinuandi; ipſummet tandem faciliori, qua poterunt, methodo ad omnium obſeruantiam præceptorum cohortandi, quæ Diuino, naturali, & Eccleſiaſtico Iure ſeruanda ſunt; horum autem omnium ex Cathechiſmo Romano, & pijs libris deſumere poterunt argumentum, quos ideo ſæpius legere, & ſi quæ docent, memoria retinere nequeant, eos ſaltem oretenus explicare ſtudeant. Vbi verò populi rudiores exiſtunt, ante Miſſæ celebrationem, recitationem vnà cum ipſis præmittant Orationis Dominicalis, Salutationis Angelicæ, Symboli Apoſtolorum, & decem præceptorum Decalogi; Si porrò pro loci qualitate, & maiori populi commoditate ſic expedire iudicauerint, poſt Sacrum peractum Doctrinæ Chriſtianæ exercitium immediatè aggrediantur; quòd tamen

eorum arbitrio, atque prudentiæ exequendum relinquitur.

§. VI. Eiſdem, Dominicis diebus in Miſſa Parochiali, feſtos dies in hebdomada occurrentes, tàm de præcepto, quàm votiuos, & eorum reſpectiuè vigilias per ſeipſos; Edicta inſuper, Apoſtolicas Conſtitutiones, noſtraſque Ordinationes, quæ circà rectum Diœceſis noſtræ regimen verſantur, quæuè in calce præſentis Synodi inſeruntur, diebus in Catalogo, ſiuè tabula publicationum poſt præſentes Synodales Sanctiones apponenda præſcriptis, ſimiliter per ſe ipſos, vel ſi ſic aliqua rationabilis cauſa exquiſierit, per interpoſitam Eccleſiaſticam perſonam, à noſtro tamen Vicario Generali probandam, publicare non omittant, qui ſecus fecerint, ſcuti vnius ſingulis vicibus ſoluendi, & Eccleſiæ, nec non accuſatori pro tertia parte erogandi, pœnam ſubeant. Porrò cùm præfatorum Edictorum publicationem fieri contigerit, ſtudeant ipſimet Parochi, ea in eorum ſermonibus ad populum, vti præfertur, habendis, ſignanter explicare. Quoties verò Indulgentiæ, à Sede dumtaxat Apoſtolica conceſſæ, & à Nobis, vel Vicario noſtro Generali recognitæ occurrunt publicandæ, earum pariter valorem, quæue ad illas lucrandas iniuncta fuerint, breuiter declarare non negligant.

Iur-

§. VII. Iurgia, & contentiones inter conterraneos, & potiſſimùm conſanguineos, ſiuè domeſticos, omni cum ſollicitudine componere, ægrotantes frequenter viſitare, & ad Sacramenta percipienda excitare, blaſphemos, fœneratores, concubinarios, alioſque publicos peccatores redarguere, tanquam vigiles ſibi commiſſi gregis cuſtodes diligenter incumbant; eiuſmodi autem perditos homines, ſi ter moniti non reſipuerint, Nobis, vel Vicario noſtro Generali denuncient, quatenus & Nos eorum præuaricationem compeſcere, & illorum ſaluti conſulere, pro noſtra paſtorali ſollicitudine valeamus. Vt verò præmiſſa exequutioni facilius demandare queant, ſingulas eorum curæ commiſſas oues, & præſertim forenſes, infra limites propriæ Parochiæ commorantes recognoſcere, & poſtremarum ſignanter conditionem perſcrutari non negligant. Quòd ſi mulieres cum viris conuiuere compererint, qui de contracto Matrimonio, ſeù Conſanguinitatis gradu, ac neceſſitudine, documentum oſtendendum non habuerint, eos à cohabitatione ſeiungi curent.

§. VIII. Indigentibus, quos temporalibus nequeunt iuuare præſidijs; ſpiritualia ſaltem præſtare ſubſidia, eoſque ſalutaribus conſilijs ſubleuare ſtudeant, Apoſtolici eloquij haud obliti. *Omni-*

bus

bus omnia factus ſum. Caueant omninò vllam Laicis offenſionis occaſionem ſubminiſtrare, quocirca publicis negotijs, niſi pietatis motiuo ducti, ſeſe immiſcere, multòque magis partibus inuicem contendentibus adhærere penitus abſtineant. In proprijs tuendis, ſiue promouendis Iuribus, circà præſertim funeralia, haud ſe ſe nimiùm rigidos exhibeant, ſed exortas potius controuerſias, vel amicabiliter componere, vel à Vicario noſtro Generali, ſeù Foraneo, quibuſcunque ſublatis diſſidijs componendas relinquant.

§. IX. Pia, quæ in eorum Parochialibus Eccleſijs fieri conſueuerunt exercitia, præſertim verò laudabilem vſum recitandi certis diebus Beatiſſimæ Virginis Mariæ Roſarium, & eius Litanias decantandi, nullatenus intermittant, ſed potius ad maiorem Dei gloriam, & eiuſdem Sanctiſſimæ Virginis laudem, necnon animarum profectum, potiori ſtudio promoueri curent. Vbi verò ſacratiſſimum Roſarium recitandi conſuetudo non viget, vt illam introducere ſatagant, eos enixè perhortamur.

§. X. Eccleſiaſticas functiones ſtatutis ab Eccleſia temporibus, benedicendi nimirum cineres, palmas, atque candelas, eaſque diſtribuendi (dummodò vltimarum diſtributio ad ipſos pertineat) nunquam prætermittant; & in Sabbato Sancto fide-

fidelium domos, intra propriæ Parochiæ limites exiſtentes, ad præſcriptum Ritualis Romani, pariter benedicant. Eoſdem fideles ſummo mane, in meridie, & ſub Solis occaſu triplicato Campanæ Eccleſiæ parochialis ictu, ad Salutationem Angelicam, & poſt primam noctis horam, ad implorandam defunctis requiem, commoneant. Omnia tandem parochialia ad vnguem munia complere ſatagant, & ſi defecerint, arbitrariæ pœnæ ſint obnoxij.

§. XI. Nullos in proprijs Parochijs eleëmoſynarum quæſtores admittant, niſi Noſtram exhibeant, ſiue Vicarij noſtri Generalis licentiam, haud cæteroquin concedendam, ſine ſeria præcedenti inueſtigatione, num exquirendæ eleëmoſynæ ad pias cauſas, ſeù ad pauperum ſuccurrendas indigentias ſint erogandæ. Eoſdem, quatenus præmemoratam licentiem obtinuerint, Reliquias oſtendere, Indulgentias publicare, concionari, aut his ſimilia peragere, quibus Chriſti fideles decipi, aut quoquo modo poſſent eludi, nullatenus ſinant, nulloque pacto tollerent.

§. XII. Parochiales libros, ſiue codices, baptizatorum nempè, confirmatorum, defunctorum, necnon Matrimonio copulatorum bene compactos, atque chartulatos habeant, & ſingula in eis, ad normam Ritualis Romani, non per abbre-

abbreuiaturas, nec dies, & annos per arithmeticas figuras, ſed omnia per extenſum deſcribant; nomina verò in eiſdem deſcriptorum, iugi numerorum ſerie, à principio cuiuſque anni vſque ad finem, arithmeticè in margine ſignent, & calculo ſupputent. Cùm aliquod documentum, ſiuè teſtimonium dandum occurret, illud prout iacet, nulla prorſus interiecta variatione exinde extrahere in votis habeant. Vt autem præmiſſa ſuum irrefragabiliter ſortiantur effectum, Vicarius noſter Generalis quotannis, & quoties ſibi benè viſum fuerit, præmemoratos libros recognoſcere poterit, & quos defeciſſe aliqua in parte animaduerterit, pro ſuo arbitrio corripiat.

§. XIII. Eoſdemmet Codices, ſicut & particularem librum, in quo decreta Viſitationum tranſcripta continentur, teſtimonialia item factarum denunciationum, aliaque ad proprias Parochias ſpectantia, in capitulari, vbi exiſtunt Capitula, vbi verò non ſunt, in Parochiali Archiuio benè clauſo aſſeruandos, & aſſeruanda reponant, illos dumtaxat penès ſe retinentes, quibus in dies indigent, quoſue præ manibus habere operæ pretiũ eſt. Eorum porrò omnium fidele Inuentarium conficiant, cuius tranſumptum eodem in Archiuio ſimiliter reponant, & originale ad Cancellariam Epiſcopalem tranſmittant, rationem ſiuè

N per

per ſe, ſiuè per hæredes, quoties requiſiti reſpectiuè fuerint, reddituri.

§.XIV. Singulis annis, Quadrageſimali tempore, ſtatum animarum deſcribant, in eoque indiuiduam nominum, ætatis, & ſexus ſpecificationem exprimant, cuius tranſumptum, propria ſubſcriptione munitum, ad noſtrum Vicarium Generalem infra octauam Paſchatis tranſmittant, ab eodem in Epiſcopali Archiuio reponendum. Eidemmet pariter orphanorum, aliorumque pauperum emendicare erubeſcentium, potiſſimùm verò puellarum ob ægeſtatem amittendæ virginitatis periculo obnoxiarum, notulam priuatim dare non immorentur.

CAPVT V.

De lectione Sacræ Scripturæ, & Caſuum Conſcientiæ conferentia.

§.I. SAcræ Scripturæ lectionem in Eccleſijs præſertim Cathedralibus haberi, irrefragabili Sac.Conc.Trid. decreto ſancitum eſt, quatenus abſconditus Sacrarum paginarum theſaurus haudquaquàm Eccleſiaſticos lateret, quibus præcipuè incumbit Fidei Catholicæ myſteria Chriſti fidelibus enucleare. Huiuſmodi lectionis

ctionis habendæ munus, Archidiacono noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, in ipſo erectionis Capituli limine, à præclaræ memoriæ Cardinali Alexandrino Prædeceſſore noſtro, Apoſtolicarum vigore litterarum opt.mem. Clementis VIII. ſub Datum apud Sanctum Marcum anno 1590. & ſucceſſiuè plurium Viſitationum decretis, demandatum fuiſſe compertiſſimum eſt. Nouiſſimè tandem anno proximè dilapſo, adhuc, & Nos in Viſitatione noſtra, conſimile ſuper hoc decretum condidimus, cui profectò, ſicut & alijs præmiſſis meritò adhærentes, nec vllum ſpecialibus Capituli præfatæ Cathedralis Conſtitutionibus præiudicium inferre in votis habentes, præſenti Synodali Conſtitutione ſancimus, præcipimus, & mandamus, vt eiuſdem noſtræ Cathedralis Archidiaconus (cui ſolius præbendæ Archidiaconalis intuitu, ex præmemoratarum litterarum Apoſtolicarum, & reſpectiuè Conſtitutionum ipſiuſmet Cathedralis diſpoſitione, prærecenſitum onus iniunctum fuit) eidem omninò ſatisfaciat, & effectiuè, ac irrefragabiliter Sacræ Scripturæ lectioni, eo prorſus modo vacet, quo Sacrum Concilium Tridentinum per Canonicum Theologalem fieri diſpoſuit, vel certè aliquem Theologiæ Moralis tractatum explicandum aſſumat, prout Nobis opportuniùs viſum fuerit.

§. II. Quantumuis autem in enunciatis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Conſtitutionibus præmemoratam lectionem, omnibus diebus feſtis habendam fore ſtatutum fuerit, attentis nihilominus Eccleſiaſticis functionibus, quæ tunc ibidem paſſim peragendæ occurrunt,& Chori potiſſimùm indiſpenſabili aſſiſtentia, alijſque iuſtis, & rationabilibus cauſis, eam quinta qualibet cuiuſuis hebdomadæ feria, irrefragabiliter haberi præcipimus; quòd ſi prærecenſitam feriam, aliquo occurrente feſto, impediri contigerit, in ſequentem diem, immediatè poſt Veſperas transferri volumus. Si verò Archidiaconus ab ea, prout præfertur, habenda defecerit, & impoſito ſibi oneri ſatisfacere haud curauerit, vel neglexerit, fructibus præbendæ Archidiaconalis careat, alijſque pœnis arbitrarijs obnoxius exiſtat.

§. III. Lectioni porrò habendæ, Capitulum Cathedralis, & Canonici, vniuerſique Ciuitatis Eccleſiaſtici, tàm in Sacris, quàm minoribus Ordinibus conſtituti interuenire non negligant, præcedente ad breue temporis ſpatium, pro eis conuocandis, Campanæ maioris tinnitu, quo ceſſante, alioque expectato competenti temporis interuallo, & coadunatis in presbyterio omnibus deſuper recenſitis, eiſdemque in ſedilibus ibidem ex induſtria diſpoſitis, iuxtà proprium cuiuſque gradum

dum circumſedentibus, ſuam Archidiaconus è ſugeſto inibi pariter parato, lectionem depromat, à qua tribus in anno menſibus, Iunij nimirum, Iulij, & Auguſti ipſum quieſcere permittimus.

§. IV. Singulis præterea quindecim diebus, tàm in præfata Cathedrali, quàm in Collegiatis, & Parochialibus noſtræ Diœceſis Eccleſijs, Caſuum Conſcientiæ conferentias, iuxtà inſtructionem in fine Synodi apponendam, haberi iniungimus, ad quas omnes ſimiliter Ciuitatis, & aliorum reſpectiuè locorum Eccleſiaſticos conuenire mandamus.

§. V. Antequam ad enunciatas Caſuum conferentias deueniatur, volumus, vt ab aliquo ex Clericis, à Vicario noſtro Generali in Ciuitate, & alibi ab earundem conferentiarum Præſidentibus, deputando, aliquod præſentium Synodalium Sanctionum caput, alta voce coram aſtantibus perlegatur, quatenus eas facilius percipere, memoriam retinere, & exequutioni, prout ſperamus, demandare valeant.

CA-

CAPVT VI.

De Clericorum Seminario, & Ludi Magiſtris.

§. I. SEminarium olim à præclaræ memoriæ Carolo Cardinali Pio Epiſcopo Albanenſi Prædeceſſore noſtro, ad iuuenes bonis probiſque moribus imbuendos, & in vinea Domini tanquam nouas plantationes excolendos, necnon Eccleſiaſtica diſciplina, ac cæteris ſcientijs, ſub proficua probatorum hominum directione, inſtruendos prouidè erectum, & ad normam Sacri Concilij Tridentini in Ciuitate Albani ſalubriter inſtitutum, per Succeſſores Epiſcopos ad hoc vſque tempus laudabiliter ſeruatum comperimus, quorum, & Nos, veſtigia premere in votis habentes, conditas ad illius vtilitatem, atque profectum conſtitutiones, & regulas confirmauimus, & nonnullas adiunximus, quas ſalubriori eiuſdem regimini magis conferre cenſuimus, quaſue ad vnguem ab ijs, ad quos pertinet, obſeruari mandamus; & prætereà auctoritate Nobis à prælibati Seminarij inſti-memorato Sac.Conc.Trid. collata, feriò præcipimus, vt quæcunque taxationes, ſeù Eccleſiaſticorum Beneficiorum in limine prælibati Seminarij inſti-

tutæ

tutæ contributiones, & vniones ad calcem præſentis Synodi deſcribendæ, quæue à noſtra Menſa Epiſcopali, & à Capitulis, atque Canonicis, tum Cathedralis, tum etiam Collegiatarum, aliarum quoque in Diœceſi noſtra exiſtentium Eccleſiarum Parochis ſolui conſueuerunt, ſingulis quibuſque annis legitimis eius adminiſtrationibus perſoluantur.

§. II. Quoniam verò prouentuum tenuitas, alumnorum in eo numerum augeri non patitur, aliorum idcircò in cunctis Diœceſis noſtræ locis exiſtentium puerorum profectui conſulere ex animo peroptantes, eorundem reſpectiuè locorum Dominos, Magnates, atque Magiſtratus, necnon quoslibet alios, ad quos pertinere poteſt, in Chriſti Domini viſceribus rogamus, maiorique qua poſſumus efficacitate obſecramus, quatenus Ludimagiſtros morum probitate, & competenti doctrina præſtantes quamprimùm, vbi deſiderantur, publico ſtipendio conduci ſtudiosè curent. Vbi verò incolarum paupertas ſalutarem huiuſmodi conductionem ſuſtinere nequaquam poteſt, Parochos, & eorum Cappellanos in Domino perhortamur, vt quantùm propriæ Parochiæ onus, & occurrentes occupationes ſinent, tam laudabile, tamque pium opus aſſumere non detrectent.

§. III. Antequam conducti, vt præfertur, Ludi

Ludimagiſtri, & alij quicumque priuatam ſcholam exercentes, eorum munus attrectare incipiant, licentiam, & approbationem Vicarij noſtri Generalis obtinere, & in eius manibus fidei profeſſionem emittere teneantur, iuxtà diſpoſitionem in cap. de Profeſſione eiuſdem fidei præſcriptam, quam profectò diſpoſitionem, ſub pœna remotionis ab officio, alijſque arbitrarijs, adamuſſim ſeruari volumus, atque iubemus.

§. IV. Pueros eorum Scholis mancipatos, ad præſcriptum Sanctionum Concilij Lateranenſis, ſub Leone X. habiti doceant, quos ſingulis diebus Dominicis, Parochiales Eccleſias adire curent, Doctrinæ Chriſtianæ exercitio vacaturos, iuxtà normam in cap. de Doctrina Chriſtiana traditam. Id ipſum ipſimet Ludimagiſtri ſemel ſaltem in hebdomada in proprijs gymnaſijs præſtare non negligant.

§. V. Vetitos, & inhoneſtos libros explicare caueant, eoſque à ſuis diſcipulis legi non permittant, vtque Miſſæ Sacrificio quotidie, temporibus item Aduentus, & Quadrageſimæ ſacris Concionibus iugiter interſint, ac peccata ſemel in menſe, vel in ſolemnioribus ſaltem Feſtiuitatibus, Sacramentali Confeſſione diluant, & ſi per ætatem liceat, Sacram Communionem excipiant ſolertiorem, quam poterunt, curam adhibeant.

Vica-

§. VI. Vicarius tandem noſter Generalis vigilanter incumbat, quatenus præmiſſa omnia inuiolabiter ſeruentur; Parochi verò ſcholas frequenter viſitare curent, quod ſi Ludimagiſtros à recta docendi methodo, ſeù viuendi ratione aberrare dignouerint, ad præfatum Vicarium noſtrum Generalem deferant, qui in ipſos, vt potè ſcholarium profectui, & eorundem ædificationi noxios, pro ſua prudentia animaduertat.

CAPVT XII.

De Regularibus, alijsque Exemptis, nec non de Eremitis, atque Monialibus.

§. I. REgulares, quos Dominus ad illibatæ vitæ conſuetudinem vocauit, & quorum opera ſalubriter vti non rarò conſueuerunt Epiſcopi, enixè perhortamur, vt propriæ profeſſionis non obliti, ità mores componant, vt & Fidelibus ædificationem præbeant, & Nobis, quoties in Vinea Domini, quam excolendam ſuſcepimus, eorum auxilio indiguerimus, dignos ſeſe, ac opportunos exhibeant operarios; gratiſſimi ſanè ſuauitatem odoris ſæculo præſtabunt, ſi ab eodem, cui iam abrenunciauerunt, ſegregati, ſeſe in Clauſtro contineant, & per vicos, ac plateas

inaniter incedere, domoſque ſæcularium, ſine neceſſitate, adire abſtinuerint. Iam verò extra Clauſtra degentes, ſi in aliquo delicto comprehenſi fuerint, à Nobis iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, irremiſibiliter punientur. In Clauſtris autem commorantes, & nihilominus extrà illa delinquentes, niſi infra tempus à Nobis præfigendum, à Regularibus eorum ſuperioribus pro delicti qualitate correcti fuerint, Noſque ijdemmet Superiores de correctionis qualitate, iuxta prærecenſitorum Sacrorum Canonum Sanctiones, certiores reddiderint, per Nos ipſos puniendos fore nouerint.

§. II. Caueant omninò ad Sanctimonialium crates accedere, & cum eiſdem confabulari, aut ſine noſtra, vel Vicarij Noſtri Generalis licentia, in earum Eccleſijs Sacrum peragere, pœnas ſecus ſubituri, per reſolutiones, & decreta S. Congregationis Concilij iam inflictas. Quatenus verò Spiritualem earumdem Sanctimonialium curam gerant, ea omnia ſeruare meminerint, quæ tam in Bulla fælicis record. Gregorij XV. quæ incipit *Inſcrutabili*, & in alia ſanctæ memoriæ Alexandri VII., quæ incipit *Fælici*, quàm in Litteris circulàribus Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 21. Martij 1682. datis, demandata ſunt; Nobis cæteroquin, & Succeſſoribus

bus noſtris, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, facultatem reſeruamus in eos animaduertendi, qui circa præfatarum Monialium, quantumuis exemptarum perſonas, clauſuram, & bonorum adminiſtrationem quomodolibet deliquerint, vel defecerint.

§. III. Tertiarias, & quaſcumque alias mulieres, ad propriæ Religionis habitum, ab eiſdem Regularibus, ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis ſpeciali licentia, admitti prohibemus, eaque nullo pacto tribuenda, niſi quadrageſimum ætatis annum expleuiſſe, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ extitiſſe, nec non ſufficientem ad victum, atque veſtitum, humanamque vitam conſeruandam habere facultatem plenè conſtiterit. Cæterum poſtquam (ſeruatis omnino præmiſſis conditionibus) admiſſæ fuerint, omnem prorſus cum ipſis quorumuis virorum (coniunctis in primo conſanguinitatis gradu dumtaxat exceptis) cohabitationem vetitam volumus. Defunctas demum, in proprijs ipſorummet Regularium Eccleſijs ſepeliri ſimiliter prohibemus, niſi iuxtà decretum Sac. Congregationis Concilij ſub die 20. Iunij 1609, Religionis habitum geſtauerint, & virginitatis, ſeu viduitatis ſeruandæ votum emiſerint.

§. IV. Si proprijs, ad normam Bullæ Gregorij XV., Conſeruatoribus caruerint, coram No-

bis in cauſis ciuilibus conueniantur. Cenſuras, atque Interdicta à Sancta Sede, & à Nobis emanantia, ac quæuis à Vicario noſtro promulgata, quotiès requiſiti fuerint, ſeruare, & reſpectiuè publicare non renuant in proprijs Eccleſijs; inibi autem Sacerdotes exteros, ſine præfati Vicarij Generalis licentia, Sacrum peragere nullatenus ſinant.

§. V. In paruis Conuentibus, nec non in ijs, qui ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Indulto, ſub Ordinarij iuriſdictione, ac ſubiectione reſtituti fuere, ſex ad minus probatæ vitæ, & ætate non immaturi Religioſi permaneant, quorum quatuor Sacerdotes exiſtant, ibidemque, in quantùm numeri exiguitas permiſerit, Regularem diſciplinam, & Chori aſſiſtentiam, non intermitti mandamus; ſecùs præmemorati Conuentus ſæcularizationis pœnam ſubeant, ad præſcriptum Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Innocentij X. Annuales eorundemmet Conuentuum redditus, omni cum rectitudine, & accuratiori, qua poterit, attentione, adminiſtrentur, bonaque mobilia, & quæuis immobilia, nunquam alienentur, præterquam in caſibus à iure permiſſis, ſeruataque forma ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum.

§. VI. Si qui in noſtra Diœceſi noui Conuentus,

tus, ſeù Monaſteria erigendi, vel erigenda occurrerint, Summorum Pontificum Diplomata, Sacrarum item Congregationum decreta, atque reſolutiones, penitus, & ad vnguem ſeruentur.

§. VII. Omnia tandem exequutioni adamuſſim à Regularibus demandari iniungimus, quæ deſuper in Cap. de Verbi Dei prædicatione, & infra de proceſſionibus, deque ſepulturis ſancita ſunt; quos ideò in Domino perhortamur, vt noſtras haſce Synodales Conſtitutiones paſſim legere non negligant, quatenus omnia, quæ in eiſdem, ad eos attinentia diſpoſuimus, iugiter explere queant.

§. VIII. Ad perditorum, & diuagantium quorumdam hominum, eludendam fraudem, atque malitiam, qui ſub ementito quandoque Eremitarum habitu, deuotionem, ac pœnitentiam ſimulantes, marſupium complere, & virtutum pallio contecti, vitioſam vitam ducere in votis habent, vetandum omninò duximus, prout expreſsè vetamus, ne quiſquam præmemoratum eremiticum habitum aſſumere, vel geſtare, nec in manſiunculas, aut quæuis Diœceſis noſtræ Oratoria, & loca ſe recipere, & in eiſdem habitare audeat, niſi prius noſtram, ſiue Vicarij noſtri Generalis licentiam obtinuerit, nullatenus cæteroquin conſequendam, antequàm ipſemet noſter Vicarius teſtimoniales, ritèque vallatas litteras, ad hunc effectum exi-

exibendas recognouerit, & ſuper exhibentium vita, moribus, conuerſatione, ac patria, diligentem præmiſerit ſcrutationem. Quicumque ſine huiuſmodi licentia (in qua præcipua ab ipſis ſeruanda exprimuntur) nullaque præuia recognitione, alicubi in noſtra Diœceſi commorari auſi fuerint, pœnam carcerationis, aliaſque arbitrarias ſubibunt.

§. IX. Licentiam verò aſſequuti, atque probati, in locis ſibi à Vicario noſtro Generali aſſignatis degentes, cælibem, religioſam, integram, pœnitentemque vitam, eremitico ſtatui, quem aſſumpſere non diſſonam ducere meminerint, ſalubri corporis afflictationi, orationi, & piorum operum exercitio iugiter incumbentes, nec non ſanctiſſima Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta in Parochia, ſub qua degunt, frequentantes; proprio inſuper Parocho feſtis diebus ſeſe præſentare, eidem obedire, gratoſque exibere curent, ad ea peragenda munera, & ſeruitia Eccleſiæ exequenda, quæ ſibi per illum demandata fuerint.

§. X. A manſionibus ipſiſmet, vt præfertur, aſſignatis, vltra tres dies abeſſe caueant, & in eas viros dumtaxat de die (non tamen facinoroſos, & criminoſæ vitæ) mulieres autem nunquam ingredi ſinant. Sæcularium conuerſationem, prout ſolitarios, Eremique cultores decet, prurſus effugiant,

giant, multoque magis mulierum. Ludis, conuiuijs, & profanis quibuſuis ſpectaculis nullo penitus pacto interſint, pœnam ſecus ſubibunt eiectionis ab Eremo, aliaſque pro arbitratu iniungendas.

§. XI. Virgines demum, ad Cæleſtis Agni nuptias aſpirantes, qnæ ſæcuriorem adire viam, & in ſacra Monaſterij clauſura, à ſæculi periculis expeditæ, ſuauiſſima Diuini Sponſi conſuetudine liberius frui cupiunt, vel (vt non raró, Satanæ ſic operante verſutia, contingere ſolet) cupere fingunt, ad hoc vt de earum, ſiuè reali, ſiue palliata vocatione certiora haberi valeant argumenta, ſeriò ſunt examinandæ (& ſanè ſemel, antequam ad probationis annum admittantur, ac iterum antequam ſolemnem profeſſionem emittant) an proprio reuera ſpiritu ductæ, meliorem hanc partem eligere decreuerint? Vicarius proindè noſter Generalis, adhunc effectum ab Abbatiſſa præmonendus, ſolerti, ſagacique ſcrutinio, earum voluntatem, tam in ingreſſu ad Monaſterium, quàm ante profeſſionis emiſſionem exploret, nec non inquirat, an ſponte vel potius ex parentum, ſiue aliorum ſuggeſtione, violentoue impulſu, in perpetua clauſura viuere deliberauerint, vel illam aſſumere coactæ fuerint? Num item aliquando cum aliquo ſponſalia contraxerint, ſeù aliàs ſtrictioris Inſti-

Inſtituti Regulam ſuſcipere deuouerint? Vlterius prudenti Supercilio ſpeculari, atque indagare curet, an notabilibus corporis defectibus exiſtant obnoxiæ? an ſanæ mentis ſint compotes, integraque fruantur valetudine? an per decem dies, ad præſcriptum Bullæ Sanctiſſimi Patris, & Domini Noſtri INNOCENTII XI. per circulares S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium litteras ſub 9. Octobris 1682. promulgatæ, in ſpiritualibus exercitijs diuerſatæ fuerint, cæteriſque polleant requiſitis, quæ per Sacros Canones, & profitendi inſtituti Conſtitutiones exiguntur. Eiſdem tandem emittendorum votorum pondus, ſimul & gloriam, vitæ Religioſæ rigorem, ac pariter laudem; perpetuæ clauſuræ anguſtiam, & ſingulare exinde emanans meritum, nec non eximium conſequendum præmium edicere non omittat.

§. XII. Eiuſdemmet Vicarij noſtri Generalis curæ committimus, vt antequam quæuis regularem habitum induat, integra dotis ſumma de more contribuenda, Monaſterio perſoluatur, vel penès idoneam perſonam, Inſtrumento præuio, per Cancellarium Curiæ noſtræ Epiſcopalis rogando deponatur, quatenus illam, poſt emiſſam à Nouitia profeſſionem, liberè, & omni ſecluſo impedimento, ſeù procraſtinatione, præfatum Monaſterium percipere valeat. Vt inſuper Nouitiæ parentes,

tes, ſiuè conſanguinei, aut quilibet alij, ad quos pertinet, cautionem præſtent pro alimentis, ſingulis trimeſtribus anticipatè ſoluendis. Porrò ſine noſtra, aut eiuſdemmet Vicarij Generalis licentia, quamcunque Nouitiam ad bonorum renunciationem admitti prohibemus, niſi duos ante menſes ab eius emittenda profeſſione; idipſum quoque ſeruari iniungimus circa Nouitios Regularium, iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij Tridentini Seſs. 25. Cap. 16. de Regular., & Monial.

§. XIII. Omnes cæteroquin nouerint Sacrorum Canonum Sanctionibus, & Sacroſancti Concilij Tridentini decretis, excommunicationis pœnam inflictam fuiſſe aduerſus eos, qui mulierem quampiam ad Regularem habitum ſuſcipiendum, & clauſuram ingrediendam, ibidemque profeſſionem emittendam, ſuggeſtione, conſilio, vi, metu, aut ſimilibus medijs impellere, vel è conuerſo à propoſito habitus ſuſcipiendi, Clauſuræ ingrediendæ, & profeſſionis ibi emittendæ diuertere, dehortari, aut quouis modo remouere præſumpſerint.

§. XIV. Puellas prætereà ſæculares, in Monaſterijs educandas admitti prohibemus, niſi conditiones in licentia Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium appoſitæ ad vnguem compleantur. Si verò earum aliqua ſponſalia con-

P traxiſ-

traxiſſe dignoſcatur, curet Abbatiſſa, vt quantocitius in propriam domum reuertatur.

§. XV. Clauſuræ limites, iuxtà cuiuſque Monaſterij regulas, inuiolabiliter cuſtodiri diſtri-ctè iubemus. Caueant itaque quæcumque Moniales extrà illos pedem efferre, & intrà eoſdem extranei, quantumuis pueri, aut puellæ progredi; ij verò, quos noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis permiſſione præuia, neceſſitas ingredi expoſtulauerit, volumus, & expreſsè mandamus, vt nunquam, extrema non cogente, ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum ingrediantur, nec eiſdem, niſi de die, ingreſſus permittatur, rectoque tramite, duabus ex prouectioribus Monialibus ſociantibus, ad locum pergant deſtinatum; expleto autem opere, ad quod peragendum eiuſmodi ingreſſus permiſſus fuerit, eadem prorſus via, nec non eodem ordine reuertantur, & extra clauſuram abeant. Qui ſecùs fecerint, vel fieri permiſerint, aut curauerint, pœnam per Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones inflictam, ipſo facto ſubeant.

§. XVI. Sine Vicarij noſtri licentia in ſcriptis tradenda, nemo audeat cum Monialibus alloqui, parentibus in primo, & ſecundo gradu dumtaxat exceptis, extrà tamen dies Communionis Generalis, & tempus Dominici Aduentus, nec non Quadrageſimæ, ad quæ ſanè tempora, alias à no-

bis

bis conceſſas licentias nullatenus ſuffragari volumus. Sacerdotes porrò, quibus à Nobis, vel Vicario noſtro Generali in Monialium Eccleſijs ſacrum peragere permiſſum fuerit, eo expleto, ſtatim diſcedant.

CAPVT VIII.

De Confraternitatibus, alijſque Locis Pijs, & eorum Adminiſtratoribus.

§. I. Laicorum Confraternitates, eo potiſſimùm inſtitutæ fuere conſilio, vt in fraternæ charitatis vinculo Chriſti fideles copulati, pijs operibus, Deoque Omnipotenti laudibus perſoluendis, ſtudioſè incumberent; ad eiuſmodi autem charitatis nexum conſeruandum, piorumque operum ſtudium, quantùm in Domino poſſumus, confouendum, ac vlterius promouendum, ea, quæ ſequuntur ſancienda cenſuimus.

§. II. Et quidem in primis decernimus, vt omnes, & quæcumque Confraternitates, Societates, & Congregationes, tàm in Ciuitate, quàm in cæteris Diœceſis noſtræ locis erectæ, & pro tempore erigendæ, peculiares Regulas habeant, ad proprium cuiuſque regimen, bonamque directionem accomodatas, eaſque, ſi non adhuc pro-

batas, à Nobis, ac reſpectiuè Succeſſoribus noſtris, approbandas. Archiconfraternitatibus Vrbis, niſi de licentia Ordinarij conſtiterit, aggregatæ non intelligantur, iuxtà Conſtitutionem Clementis Octaui; legitimè verò aggregatæ, Statutis earum, quibus annexæ ſunt, vti poterunt, vtque ea Confratribus innoteſcant, coram ipſis in vnum coadunatis, crebriùs legantur, & ſuper exacta eorundem obſeruantia, Vicarius noſter Generales in Ciuitate, alibi verò Foranei diligenter inuigilent. Nouas interim alicubi Confraternitates, ſine noſtra, & noſtrorum conſequenter Succeſſorum licentia erigi diſtrictè prohibemus.

§. III. In earum Oratorijs Miſſæ nullatenus celebrentur, niſi ex Apoſtolico Indulto, vel de noſtra expreſſa licentia, nunquàm tamen eodem tempore, quo in Cathedrali, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſijs Miſſa principalis perſoluitur; nec in ſolemnioribus anni Feſtiuitatibus, quibus æquum eſt, & rationi omninò conſonum, vt fideles in propriam Parochialem conueniant. Functiones itidem Parochialibus Eccleſijs competentes, in præmemoratis Oratorijs haberi, proindeque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ibidem conſeruari, & defunctorum cadauera ſepeliri vetamus.

§. IX. Singulis quibuſque annis in vnaquaque

que Confraternitate Officiales eligantur, per propria Statuta demandati, & eorum electiones à Confratribus, ad hoc ſpecialiter congregatis, coram Vicario noſtro Generali in Ciuitate, alibi verò coram Parocho, ſecretis adibitis ſuffragijs, efficiantur; aliter autem ſuffectæ, pro nullis, & inſubſiſtentibus ipſo Iure habeantur. Electi porrò, collata ſibi munera reſpuere, & recuſare nequaquàm valeant, ſecùs pœnam ſcutorum decem, ipſiſmet Confraternitatibus erogandorum, & inhabilitatis ad alia in poſterum conſequenda, ipſo facto ſubeant. Inhabiles pariter ad quælibet officia obtinenda habeantur, quicumque ex cauſa adminiſtrationis, in notabili ſumma proprijs Confraternitatibus moroſi debitores exiſtunt, donec ſatisfecerint; nec vllus eodem tempore duarum Confraternitatum officijs fungi queat, ſicut nec quiſquam, exacto ſui muneris anno, iterum in eodem confirmari, niſi vnanimi omnium ſodalium concurrente, nulloque refragante calculo, electus fuerit, vel Vicarius noſter Generalis confirmari permiſerit. Electi demum, & confirmati, in manibus eiuſdem Vicarij noſtri in Ciuitate, & Parochi in alijs Diœceſis locis iuramentum de muneribus ſibi collatis fideliter adminiſtrandis, incunctanter præſtare teneantur, & renuentes, vltra præſcriptam decem ſcutorum ſoluendorum pœnam, aliaſque

pro

pro arbitratu noſtro ſoluendas, prærecenſitis officijs deſtituti remaneant.

§. V. Omnes, & quicumque redditus, cuiuſuis Societatis, à proprio Camerario exigantur, qui ſuæ adminiſtrationis anno iàm expleto, Vicario noſtro Generali, eoue impedito, locali Parocho, ſeù alteri, per eundem Generalem Vicarium deputando, rationem reddere teneatur, ad quod ſanè præſtandum, omnibus tam Iuris, quàm facti remedijs compellatur. Legales proindè receptorum libros habeat, iuxtà inſtructionem in fine præſentis Synodi apponendam. Extra vrgentis neceſſitatis caſum, ab extraordinarijs ſumptibus, vnius ſcuti ſummam excedentibus, niſi de licentia præfati Vicarij Generalis, & aliorum Officialium participatione, prorſus abſtineat, ſub pœna reficiendi de proprio quidquid vltra prærecenſitam ſummam expenderit. Præmemoratos Societatis redditus, tàm ipſe, quàm cæteri Officiales, in alios, præter deſtinatos vſus, caueant erogare. Quoad credita, quæ in ſuæ adminiſtrationis decurſu, inexacta remanere contigerit, de præſtitis ab eo, vſque ad expeditionem mandati diligentijs docere, aliàs illa de proprio compenſare debeat. Expenſas quaſcumque, per ipſum factas, legitimis documentis iuſtificare, & ſecus, illas ex proprio reficere cogatur. Omnes, ac ſingulas ſcripturas, penes ipſum exiſtentes,

tes, nouis Officialibus conſignare non omittat, ab eiſdem in Archiuio Confraternitatis reponendas, ibidemque cuſtodiendas. Pro antiquis, eiſdemque difficilis exactionis recuperandis creditis, accuratum à Sodalium Congregatione Procuratorem, deputari permittimus (præuia tamen Vicarij noſtri Generalis permiſſione, & quatenus eidem ſic expedire viſum fuerit) ad effectum dumtaxat debitores cogendi, vt pecuniarum per ipſos debitarum ſummam in manibus Camerarij, ſiuè Depoſitarij perſoluant. Ipſi verò Procuratori, certum pro quolibet centenario ſummæ recuperandæ, &, vt præfertur, in manibus Camerarij, ſeù Depoſitarij ſoluendæ, ſtipendium aſſignari poterit, dummodò cautionem præſtet idoneam, debitores infra tempus à prælibato Vicario Generali præfigendum, compellendi ad creditorum ſibi aſſignatorum effectiuam ſolutionem, ſeù ad neceſſarias ſaltem complendas diligentias, atque iuſtificandas.

§. VI. Nullam fieri volumus Sodalium conuocationem, aut congregationem haberi, pro diſcutiendis, ſiuè tractandis Societatis negotijs; niſi præſens interſit Vicarius noſter Generalis in Ciuitate, alibi verò loci Parochus; omnes ſecus habitas reſolutiones, ex nunc pro tunc, irritas, atque nullas, declaramus: factæ autem ſub eorum

rum reſpectiuè aſſiſtentia, in ſpeciali libro, vt par eſt chartulato, à Confraternitatis Secretario deſcribantur, adiectis ad calcem prælibatorum Vicarij Generalis, ſeù Parochi, nec non eiuſdem Secretarij ſubſcriptionibus.

§. VII. In Confraternitatum Oratorijs, capſulæ pro colligendis eleemoſynis, nullatenus exponantur, multoque minus circumferantur, quatenùs verò de noſtra, ſeù de Vicarij noſtri Generalis licentia aliquando circumferri permittantur, vel ſic alicubi fieri conſueuerit, duabus occludantur clauibus, quarum vnam Parochus, alteram ſocietatis Prior cuſtodiendas retineant, & vtroque præſente, opportuno tempore, adaperiantur; extractæ autem exindè pecuniæ, ſingulis vicibus in particulari libro (diei, menſis, & anni indiuiduatione præmiſſa) regiſtrentur, & in vſum dumtaxat earundem Confraternitatum de licentia Vicarij noſtri Generalis in Ciuitate, alibi verò Parochi, erogentur.

§. VIII. Confratres Societatum, & earum præſertim, quæ defunctos ſepeliendos comitari tenentur, pium hoc opus proceſſionaliter, deuotè, amictique ſaccis, obire ſatagant, & negligentes, pro arbitrio Vicarij noſtri Generalis, à Confraternitate expellantur. Earumdem Societatum Cappellani, Sodalibus in diebus Dominicis, Deo, Beatæ-

Beatæque Virgini Mariæ,in proprijs Oratorijs laudes recitantibus, & preces offerentibus, Indulgentias ipſis à Summis Pontificibus conceſſas, commemorent, eoſdemque ad pia eiuſmodi exercitia, pro illis lucrandis frequentanda ſtudioſè cohortentur.

§. IX. Caueant ijdem Confratres, inſignia propriæ Societatis geſtantes, adire cauponas, id quippè in proprij decoris præiudicium, & in maximum ſuæ Sodolitatis dedecus cederet; ſi quos autem, & propriæ decentiæ immemores, & ſuæ Societatis oblitos dignitatis, tabernas, ſaccis indutos, ingredi non puduerit, eos totiès quoties, pœna ſcutorum duorum, vſibus propriarum Confraternitatum erogandorum, mulctari præcipimus.

§. X. In cunctis Diœceſis noſtræ locis, vbi nondum pauperum peregrinantium Hoſpitia, & ægrorantium Hoſpitalia erecta ſunt, populos, & quoſcumque alios, qui ad pijſſimum huiuſmodi opus conferre magis poterint, efficaciori, quo valemus ſtudio, obſecramus, vt Chriſti Domini memores documenti, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, illa, in aliquale indigentium ſubſidium, & defeſſorum aliquantulam requiem, erigi, pro viribus curent; Vbi verò iam inſtituta ſunt, eorum adminiſtratores, in Domino perhortamur, quatenus ægrotis, & pauperibus, ibidem

iam admiſſis, ſollicita charitate ſuccurrere ſtudeant. Hinc pro quolibet erectorum iàm Hoſpitalium, virum aliquem probitate vitæ præſtantem, à Vicario noſtro Generali, vel alijs, ad quos de Iure, ſiue conſuetudine, ſpectauerit (ab eodem tamen Vicario noſtro approbandum) quotannis in Priorem eligi mandamus, qui omnia bona, ea qua par eſt, fidelitate adminiſtret & Introitus quoſcumque recipiat, ac exigat, expletoque collati ſibi muneris tempore, in manibus prælibati Vicarij noſtri Generalis, & extra Ciuitatem, proprij Parochi, peractæ ſuæ adminiſtrationis rationem reddat, eodem prorſus modo, & forma, quibus deſuper in præſenti Cap. §. 5. *Omnes, & quicumque redditus*, diſpoſuimus.

§. XI. Vltra Priorem, alter in Hoſpitalarium (vt vulgo dicitur) pari formiter eligatur, qui honeſtis moribus polleat, cuiue præmemoratus Prior, coràm Vicario Generali, & extra Ciuitatem, loci Parocho, cuncta Hoſpitalis mobilia Inuentario prænotàta conſignet, ab eodem poſt expletum ſui famulatus tempus, ad vnguem reſtituenda, ac propterea ad calcem enunciati Inuentarij, deſcriptorum ibidem, & ab eo receptorum mobilium, proprio calamo, teſtimonium adiungat; vel ſi ſcribere neſciat, illud per publicum præſtet Inſtrumentum. In quouis Hoſpitali, duo ad minus pro in-

infirmis parentur cubilia, ipſeque Hoſpitalarius ibidem diu, noctuque permaneat, & ægrotantibus, nec non alijs illuc aduentantibus peregrinis charitatiuè aſſiſtat. Quidquam, adhuc ſponte oblatum, recipere caueat. Statim ac quiſquam ægrotus aduenerit, Parochum moneat, ad hoc, vt eidem Eccleſiæ Sacramenta, prout opportunum iudicauerit, adminiſtrare non differat; ſi verò id neglexerit, ab Officio deponatur, & alijs pro arbitratu pœnis exiſtat obnoxius, quòd ſi aduentantes infirmi, Sacramenta recipere renuerint, præmiſſis prius à Parocho paternis monitionibus, eijciantur, & Vicarius noſter Generalis certior efficiatur, quatenus eorundemmet animarum ſaluti, pro ſua prudentia, & prout in Domino magis expedire duxerit, conſulere valeat.

§. XII. Quoties admittendæ occurrent mulieres, ſeorſim ſemper ab homnibus collocentur; quòd ſi viris permixtæ aduentauerint, nullatenus recipiantur, niſi de contracto interipſos Matrimonio, vel de primo, aut ſecundo conſanguinitatis gradu, legitimam atteſtationem exhibuerint. Pueri, nec non adoleſcentuli, eodem in cubili cum ætate prouectioribus iacere non ſinantur, nec vlla mulier, quantumuis à proprio viro ducta, in loco, vbi peregrini cubant, manere permittatur, à quorum ſanè conuerſatione ipſe aduc Hoſpitala-

rius, quatenus vxoratus exiſtat, vxorem ſuam auocare, & longius abducere prouidè curet. Circulatores, criminoſi, arma deferentes, alijque ſimilis farinæ homines, nullatenus admittantur, & ſi admiſſi, tales detecti fuerint, incunctanter expellantur.

§. XIII. Bini quotannis ab ijs, ad quos de iure, vel more pertinet, & in eorum defectu, à Vicario noſtro Generali, ex officio, inſtituantur ſpectatæ virtutis, & probitatis Viſitatores, qui ſingulis trimeſtribus Hoſpitalis cuiuſque ſtatum perſcrutantes, ipſimet Vicario noſtro in Ciuitate, & extra illam Vicarijs Foraneis, quomodò res tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus procedant, referre teneantur. Omnia denique, quæ in hoc Cap., & in præſenti Synodo condita ſunt decreta, ad Societatum, aliorumque piorum reſpectiuè locorum Officiales ſpectantia, in calce libri peculiarium cuiuſque Conſtitutionum, vel in alio ad hunc effectum inſtituendo, ad formam ex Cancellaria noſtra Epiſcopali deſumendam traſcribantur, per eoſdemmet exiſtentes Officiales ſucceſſoribus, poſtquàm electi fuerint, illicò tradenda, eaque palàm, coram Confratribus, in prima, quæ habenda occurret Congregatione, in Oratorijs verò priuatim legenda, nec non ab omnibus reſpectiuè adamuſſim obſeruanda.

CA-

CAPVT VLTIMVM.

De illicita, ac damnata Laicorum conuerſatione, & de contractibus vſurarijs.

§. I. QVàmquàm ea ferè omnia, & ſingula quæ Synodalibus hiſce Conſtitutionibus ſanciuntur, in id potiſſimum tendant, vt Chriſti fidelium, quorum Nobis eſt paſtoralis cura commendata, in viam ſalutis greſſus dirigantur, humana tamen fragilitas in eos paſſim labi ſolet ſcandaloſos abuſus, ſordidaſque diſſolutiones, vt ad eiuſmodi præuaricationes abolendas, ſpecialia ſint adhibenda remedia.

§. II. Hinc Parochis, Foraneiſque locorum Vicarijs iniungendum duximus, prout diſtrictè mandamus, vt mulieres quaſcumque meretrecia labe inquinatas agnouerint, Vicario noſtro Generali denunciare non prætermittant, ab eodem pro ſua prudentia, vel à Diœceſi eliminandas, vel ad remotiores Ciuitatis, & Oppidorum partes, procul ab Eccleſijs, Oratorijs, & Monaſterijs abire cogendas, pœna renuentibus iniuncta fuſtigationis, & domorum locatoribus, qui moniti, eas exinde non eiecerint, duplum ſoluendi factæ conductio-

ctionis, in beneficium Eccleſiæ vicinioris erogandum.

§. III. Ipſis autem impudicis, proſtitutiſque fœminis vetitam omninò volumus puellarum apud ſe, ne quidem ſub conſanguinitatis, aut famulatus prætextu, retentionem; & prætereà ad præcauendam Diuinæ Maieſtatis offendendæ occaſionem, eiſdem iniungimus, nè noctis tempore, ſub habitu præſertim virili, diuagare, vel ſuſpectis horis, ſeù locis cum hominibus, ab octo diebus ſolemnitatem Dominicæ Natiuitatis præcedentibus, vſque ad vltimum eiuſdemmet ſolemnitatis feſtiuum diem, & à Dominica Palmarum, vſque ad Octauam Paſchatis incluſiuè, audeant conuerſari; quoties verò enunciatis temporibus, horis, atque locis, in huiuſmodi conuerſatione comprehenſæ fuerint, pœnam tàm ipſæ, quàm viri, ſcutorum decem ſoluendorum ſubeant, eamque ad maiorem, vel minorem ſummam, iuxta concurrentium circumſtantiarum qualitatem, augendam, ſiuè minuendam; coniugatæ porrò, vel etiam ſolutæ in vxoratorum, & è conuerſo, ſuſpecto conſortio; quouis tempore, & quotiès repertæ fuerint, fuſtigationis, & viri vigintiquinque ſcutorum pœna plectantur.

§. IV. In concubinatu verò degentes, ſi trina ſalutari monitione præmiſſa, non reſipuerint, &

ad

ad cor redire renuerint, à Sacramentali peccatorum abſolutione reijciantur, & apud Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem per Parochos denuncientur; quòd ſi denunciare prætermiſerint, arbitraria pœna punientur. Ipſi autem concubinarij pœna excommunicationis, alijſque per Sacros Canones iniunctis plectendos fore nouerint, ſciantque Nos aduerſus ipſos, adhuc nemine accuſante, per viam inquiſitionis, quinimmò etiam antè factas monitiones, ſi ſic expedire duxerimus, fore proceſſuros.

§. V. Quoniam verò nefaria, vt plurimùm, lenonum arte, eiuſmodi mala inolere, & paſſim confoueri ſolent, eorundem non modò Parochorum, ſed & Vicariorum conſcientiam oneramus, eiſque ſeriò præcipimus, vt ſi quos alienæ libidinis mediatores, ſeù mediatrices in proprijs Parochijs, & locis ſibi reſpectiuè commendatis dignouerint, illos, & illas à tam turpi, deteſtabili, ac flagitioſa mediatione abſtinere ſuadeant, quod ſi ab ea deſiſtere non curauerint, eos ad Vicarij noſtri Generalis notitiam deducant, qui iuris ſeruatis regulis, necnon in terminis Bullæ Pauli IV. quæ incipit, *Sanctiſſimus*, ad pœnas inibi contentas rigorosè procedat, & vlterius eoſdem ab vniuerſa Diœceſi expellat, eius arbitrio nequaquam

reſtri-

reſtricto, eoſdem alijs adhuc pœnis, antefactas monitiones mulctandi.

§. VI. Iam verò, vt omne, quantùm in Domino poſſumus, præuaricationis periculum dirimamus, mulieribus de honeſtate ſuſpectis cauponicum miniſterium, ſub pœna ſcutorum decem, pijs vſibus applicandorum, expreſsè prohibemus; eaſdem item, (etiamſi cauponibus conſanguinitate ſint adiunctæ) in diuerſorijs retineri, & vniuerſaliter quaſcumque alias ſimilis farinæ, hoſpitalitatis ergò diuertentes, vltrà triduum admitti vetamus.

§. VII. Damnata pariter conuenticula, liberoſue virorum congreſſus cum fœminis, in domibus parùm honeſtis, penitùs diſſolui, nec non aboleri volumus, & eos, qui ijs intereſſe, vel illos quibuſuis modis, aut medijs fouere auſi fuerint, arbitrarijs pœnis ſubijcimus.

§. VIII. Fœminæ item diuagantes, quæ ad inhoneſtum, & criminoſum corporum ſuorum quæritandum lucrum, peculiares ciuium, aut conterraneorum domos adierint, & paſtorum, ſiuè alias quaſcumque campeſtres caſulas, vel manſiones frequentauerint, à ſatellitibus fori Epiſcopalis, adhuc ſine vllo mandato, quotiès compertæ fuerint, incarcerentur.

Exte-

§. IX. Exteri quoque, qui in hanc noſtram Diœceſim, cum mulieribus ad quæſtuandum aduentare, & in cryptis diuerſari contigerit, niſi de contracto matrimonio, vel de conſanguinitate legitimas atteſtationes exhibuerint, ſimul cohabitare non ſinantur; ſuper quo locorum Parochos inuigilare mandamus.

§. X. Eamdem vigilantiam adhiberi præcipimus ſuper circulatores, qui fœminas per Ciuitates, & loca circumferentes, ac medicamenta venditantes diuagantur. Eos itaque, niſi de matrimonio, vel conſanguinitate docuerint, extra Diœceſim pro arbitrio Vicarij noſtri Generalis expelli pariter iniungimus.

§. XI. Meminerint Parochi, populos inter Miſſarum ſolemnia, ad normam inſtructionis (quam videre eſt in Edicto de diſciplina Laicorum, in fine præſentis Synodi adijciendo) ſæpiùs commonere, vt proprios mores, iuxtà Chriſtianum inſtitutum, componant, & ſignanter parentes, nè filios mares, & fœminas poſt completum decimum ætatis annum, in eodem lecto, multoque minus in cubili, vbi ipſimet, aut alij quiuis coniugati cubant, coniacere ſinant, rationem Deo de ſcandalis, ac peccatis, quæ exindè prouenire poſſent, reddituros.

§. XII. Vicarij noſtri Generalis in Ciuitate, & ali-

& alibi Foraneorum, atque Parochorum vigilantiæ committimus, vt ſolertiori, quo poterunt ſtudio, indagare ſatagant, an conuentiones fiant, ſiuè contractus ſtipulentur, fœnerationem, & vſuram redolentes, comprehenſi præſertim in Edicto contrà vſurarios condito, quod cernere eſt ad calcem præſentium Synodalium Conſtitutionum, ſcrutarique non negligant, an à mutuò dantibus, quidquàm, vltrà ſortem principalem exigatur, etiamſi pecunia ad pia loca, vel pupillos, pertineat; an inſuper ob anticipatam, vel dilatam ſolutionem, plus aliquid, vel minùs, quàm iuſtum fert pretium, venundetur? Vlterius an reliqui contractus bona fide, doloque, metu, colluſione, & ſimulatione ſeclufis, celebrentur? Quotiès autem Parochi, vel Vicarij Foranei, de eiuſmodi contractuum rectitudine, aut pauperum læſione dubitauerint, Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem quantociùs conſulere non prætermittant, ad hoc, vt circà illorum ſubſiſtentiam, vel validitatem, & ægenorum indemnitatem, paterna ſollicitudine, prouidere valeamus. Cæterum ſanctas æquitatis leges, & iuſtitiæ iura lædentes, necnon Sacros Canones, Apoſtolicaſque Bullas, contra iniquos fœneratores, & vſurarios emanatas eludentes, pœnas per eoſdemmet Sacros Canones, & Bullas Pontificias inflictas, haud effugi-

turos

turos nouerint. Ipſos intereà fœneratores à Vicario noſtro Generali, iuris ſeruatis regulis à fidelium conſortio ſegregari, & viuentes Sacramentorum Eccleſiæ participatione, vitâ verò functos, Eccleſiaſtica ſepultura priuari demandamus.

§. XIII. Notarijs demum quibuſcumque, ſub pœnis per eoſdem ſimiliter Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones latis, alijſque arbitrio noſtro infligendis iniungimus, nè vllos vſurarios, ac fœneratorios contractus, nondum manifeſtè, ſed nec palliatè, rogare præſumant.

[illegible]

SESSIO TERTIA.

CAPVT PRIMVM.

De Sacroſanctis Eccleſijs, Altaribus, & Oratorijs.

§. I. ECCLESIAS cultui Diuino dicatas, quæ domus ſunt Orationis, & cæleſtis Ieruſalem ſpeciem repræſentant, quas inquàm Altiſſimus, Maieſtate ſua replens, Sacerdotum ibidem oblata Sacrificia, & deuotas fidelium preces benigniſſimè ſuſcipit, omnium maximus decet honor, decor; ornatus, ac veneratio.

§. II. Et propterea nullàm ſine noſtra expreſſa licentia, & niſi competenti per Cancellariæ Epiſcopalis acta, præinſtituta dote (eademque tàm ad ſacrorum ſupellectilium prouiſionem, reparationem, atque conſeruationem, quàm ad ſacroſancta perſoluenda Sacrificia, necnon occurrentes Eccleſiaſticas functiones peragendas ſufficiente) de nouo Eccleſiam ædificari, & ſi quæ iam conſtructa ruinam, aut collapſum minetur, ſumpti-

ſumptibus eorum, ad quos de iure ſpectat, quantociùs reparari diſtrictè mandamus.

§. III. Tempore, quo Miſſæ Sacrificium peragitur, aut ſacræ quæuis functiones celebrantur, caueant fideles aſtantes à confabulationibus, & profanis quibuslibet negotijs, alijſque rebus, quæ à debita deuotione, & loci ſanctitudine aberrant, pertractandis, quocircà Eccleſiarum Præfectos, atque Rectores perhortamur, vt Diuini vindices honoris, Templum Domini, negotiationis domum fieri, nullatenus ſinant, & exindè eos arceant, quos affabiliter, comiterque præmonitos, non vt par eſt, ſeſe ibidem geſtare compererint. Parochis item iniungimus, vt crebrò populis, & Prædicatoribus, quatenus in ſuis Concionibus reuerentiam Eccleſijs debitam, ac vltionis Diuinæ à tranſgreſſoribus paſſim perſolutas pœnas annunçient; ea inſuper omnia commemorent, quæ circa earumdemmet Eccleſiarum promeritum, debitumque cultum, in Edicto de Feſtorum veneratione, ad calcem præſentis Synodi apponendo, demandantur.

§. IV. Ab earum liminibus, & præſertim Sanctimonialium, veſtibulis, choreæ, ſaltationes, cantilenæ, & profana cuiuſuis generis exulent ſpectacula. Immunditiæ in earumdem vicinia, neutiquam proijciantur, nec quidquam, ſub pœ-

nis

nis arbitrarijs permittatur, quod loci decorem, & ſanctitatem offendat.

§. V. Altaria in eiſdem non erigantur, niſi per acta Curiæ noſtræ Epiſcopalis ſufficiens, & congrua dos, ad eorum manutentionem ſtatuatur, erecta verò, ſed dotibus, vel neceſſarijs ſupellectilibus deſtituta, ſi nullos habeant Patronos, ad quos pertineant, ſiuè ſi habeant, niſi ab illis, poſtquàm moniti, & requiſiti fuerint, prouideantur, ſeruatis de iure ſeruandis, alijs concedantur. Quæ inſuper haud ſunt integrè conſecrata, ſacratos ſaltem lapides ſuperpoſitos habeant, cerata tela contectos, & in eorum planitie tres lineæ apponantur mappæ; ex partibus verò anterioribus Cruces præſeferant depictas; & congrui pro tempore coloris, ornentur pallijs.

§. VI. In vnoquoque, ſuis locis aptè diſpoſita, duo ad minus ex aurichalco, vel ſaltem ex ligno, eleganter compacta adſint candelabra, & in medio ſuprà ſcabellum, Chriſti Domini ex Cruce pendentis ſimulacrum; tabella itidem in medio *Gloria in excelſis*, *&* *Credo*, in partibus verò collateralibus à dextris, & ſiniſtris, aliæ duæ, *Initium Euangelij Sancti Ioannis*, & Pſalmum *Lauabo*, referentes. Aliqua quoque in quouis Altari Sacra collocetur Imago, publicæ tamen ibidem haud exponenda venerationi, niſi ſeruatis, quæ

in Seſſione prima, capite 2. §. 6. *Sacras Imagines*, diſpoſuimus.

§. VII. Solertiſſimam Sacriſtæ, ſiue Clerici, quibus competet, curam adhibeant, ne quidquam non ſatis cultum in Altaribus, aut ſordidum in Eccleſijs appareat; quamobrem has paſſim expurgare, ac verrere, & ab illis puluerem crebriùs excutere non negligant.

§. VIII. Propè ianuam cuiuſque Eccleſiæ vas marmoreum affigatur, ad aquæ luſtralis vſum, atque conſeruationem, quam ſemel in hebdomada renouari præcipimus.

§. IX. Tendentes ad collapſum Eccleſias, quæ reparari nequeunt, in ſordidos vſus conuerti omninò prohibemus, in profanos verò de noſtra dumtaxat, vel Vicarij noſtri Generalis licentia eas, ſeu earumdem tigna, lateres, & cœmenta ſubrogari permittimus; poſtquàm verò dirutæ fuerint, Crucē in loco, vbi cōſtiterant, erigi volumus, atq; mandamus.

§. X. Sacra ſupellectilia in Sacriſtiarum Armarijs accuratè cuſtodiantur, & ea, quæ reparatione indigent, infra menſem à præſentium Conſtitutionum publicatione, ſumptibus eorum, ad quos pertinet, ſub pœnis arbitrio noſtro iniungendis reparentur; quæ iam conſumpta cenſentur, quantociùs remoueantur. Campanilium oſtia clauibus occludantur, nec omnibus ad illa liber pateat acceſ-

acceſſus, & Campanæ ſtatutis horis, ad Eccleſiaſticas tantùm functiones populo annunciandas, nunquam verò ad res profanas indicandas temerè pulſentur;

§. XI. Capſulæ ad eleëmoſynas colligendas in Eccleſijs nequaquam exponantur, niſi ad normam (ſeruata tamen proportione) ſuperiùs in cap. 8. præcedentis Seſſionis §. *In Confraternitatum Oratorijs* traditam; altera porrò earum clauis à Parocho, vel Eccleſiarum Rectoribus, in quibus exponendæ fuerint, altera verò ab alio per Vicarium noſtrum Generalem deputando cuſtodiatur.

§. XII. Arma focaria, & quæuis incongrua geſtantes, ab ingreſſu Eccleſiæ propulſentur, & ſi qui eiuſmodi armis muniti, eas ingredi præſumpſerint, vltrà eorundemmet armorum iacturam, pœnæ trium ſcutorum, pijs vſibus erogandorum ſuccumbant. Quicumque porrò verbis, aut factis quemquam in Eccleſia lædere auſus fuerit, pœnas ſubeat per Sacros Canones inflictas, & vlterius ſcutorum decem, vſibus ſimiliter pijs applicandorum.

§. XIII. Nulla in locis Sacris à Iudicibus ſæcularibus cauſa, & præſertim criminalis, peragatur. Vt verò flagitioſi, qui ſpe in Eccleſiam confugiendi, execranda quandoque facinora commit-

tere non dubitant, ab eiſdem perpetrandis deterreantur, vetitum omninò volumus Rectoribus, Parochis, & quibuſuis alijs, eos vltra triduum, ſine licentia Vicarij noſtri Generalis, ibidem retinere, & ſine eius permiſſione retinentes, pœnis arbitrarijs mulctandos fore nouerint.

§. XIV. Quantùm ad Eccleſiaſticam pertinet Immunitatem, Bulla Gregorij XIV. decreta Sacræ Congregationis eiuſdem Immunitatis, Viſitationum, & aliarum Synodalium Conſtitutionum Statuta (quæ pro expreſſis hìc haberi volumus) inuiolabiliter ſeruentur.

§. XV. In Eccleſijs, Oratorijs, & Cappellis ruralibus, Sacrum peragere nemo audeat, niſi Apoſtolicò impetrato Indulto, vel noſtra præcedente licentia.

§. XVI. Solemnem in eiſdem Miſſam decantari, Sancta Sacramenta miniſtrari, Parochiales functiones peragi, Officia Diuina, & præſertim à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis, ritu ſimiliter ſolemni celebrari, ſine Vicarij noſtri Generalis licentia, omninò prohibemus.

§. XVII. Oſtium habeant ex parte viæ publicæ, illudque ſemper occluſum, tempore dumtaxàt excepto, quo ibidem Miſſæ celebrantur. Omnia demum ad vnguem ſeruentur, quæ per Sa-

cræ Congregationis decreta, hac in parte ſancita ſunt.

CAPVT II.

De Celebratione Miſſarum.

§. I. SAcroſanctum Miſſæ Sacrificium, quo Chriſtus Dominus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech æterno Patri immolatur, quoue Deus ipſe factus homo, fidelibus ſuis ſe ſe ſumendum exhibet, quanta cordis munditie, animæ puritate, & deuotionis affectu, à Sacris Miniſtris peragendum, atque tractandum, necnon à fidelibus ipſis colendum ſit, Apoſtolus Paulus inſinuat, dùm clamat. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat; qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Omnes idcircò Sacerdotes, in eodem Chriſto Ieſu (qui in mirificum immenſi amoris ſui argumentum, ſeſe quotidie manducandum præbet) obſecramus, quatenus ad Sacroſanctum Altare acceſſuri, debita præparatione ſe diſponant, & quale conficiendum opus aggrediuntur, attenta conſideratione meditentur.

§. II. Iniungendum interea operæ pretium ducimus, & de facto præcipimus, tabellam in qualibet Sacriſtia, apto, & congruenti loco affixam exponi, quæ præparationem referat ad Miſſam celebrandam; alteram adhuc ibidem, vbi videri, & legi commodè queat affigi, Summarium decretorum præſentis Synodi, circà Miſſarum celebrationem conditorum, aliaque, quæ circa eamdem materiam neceſſaria iudicabimus referentem, à libro Formularij noſtræ Cancellariæ deſumendum. Sacerdotes porrò celebraturos monemus, vt Sacris indumentis Miſſæ perſoluendæ congruis, & quantùm fieri poterit honeſtis, nec non coloris varietati temporum accommodatis perutantur, pileolum, & anulum (ſi quem geſtare ſolent) dùm celebrant omninò deponant, & cærimonias iuxtà Miſſalis Romani Rubricas accuratè ſeruare ſatagant. Clericis verò iniungimus, vt celebrantibus in Miſſa reſpondentes, veſtem congruam, in ſolemnioribus autem feſtiuis diebus adhuc ſuperpelliceum inducere non omittant.

§. III. Miſſarum onera, ex pia vel benefactorum deuotione, vel defunctorum diſpoſitione inſtituta, eadem in Eccleſia, necnon Altari, vbi ab inſtituentibus fuerunt impoſita, ab ijs, qui tenentur, integrè, & irrefragabiliter compleantur,

ac

ac propterea in quibuſuis Sacriſtijs ſpecialem librum adeſſe volumus, in cuius initio, tàm præmemorata onera, quàm eleëmoſynæ, ex quibuſlibet diſpoſitionibus prouenientes, vel etiam dietim occurrentes diſtinctè prænotentur; deinde verò, præmiſſa cuiuſcumque diei, menſis, & anni ſpecificatione quiſque Sacerdos, poſtquàm Sacrum peregerit, ibidem ſui ipſius, eiuſque pro cuius anima celebrauerit, nomen proprio calamo perſcribat; completa tandem quotidiana Miſſarum celebratione, Sacriſtæ maiores in Cathedrali, & reſpectiuè in Collegiatis, nec non Rectores in cæteris Eccleſijs, lineam prius, & immediatè ſuum nomen ſuperaddant.

§. IV. Anno autem dilapſo, atque completo, prælibati Sacriſtæ maiores, ſiuè Rectores, alijque quorum intereſt, infrà decem primos dies Ianuarij, Miſſas à quolibet Beneficiato per integrum eiuſdemmet anni decurſum, in eorum Eccleſijs celebratas ſpecialiter ſupputent, & ad diſtinctum, rectumque, atque exactum calculum redigant, necnon cuiuſque per ipſos factæ calculationis Summarium (adiectis inibi conditionibus, quæ ipſis neceſſariæ viſæ fuerint) ex prærecenſito libro exemplatum, ad Vicarium noſtrum Generalem tranſmittant, qui ſanè, quatenùs nonnullarum Miſſarum ſatisfactionem ab aliquo Sacerdote negle-

glectam fuiſſe cognouerit, eidem pro ſua prudentia, & arbitrio, terminum, ſi rationabilem excuſationis cauſam adduxerit, ad eas irrefragabiliter ſupplendas, præfigat (vltra tamen menſis Februarij periodum, nequaquam prorogandum) vel ipſum trium Iuliorum, in emolumentum Sacriſtiæ, aut Eccleſiæ, in qua celebrare tenebatur, erogandorum pœna, pro quacunque Miſſa in diebus feſtiuis, & duorum in ferialibus prætermiſſa, corripiat, quod ſi quiſquam prætermiſſas, vti præfertur, Miſſas, infra præfixum ſibi tempus supplere neglexerit, grauiori adhuc pro arbitratu pœna, ex contumacia mulctandus erit.

§. V. Celebrationem autem Miſſarum, quæ nulli apparent Eccleſiæ fuiſſe ſignanter addictæ, ab hæredibus oneratis, ſiuè à Sacerdotibus, quibus onus huiuſmodi ſatisfaciendum incumbit, modo, & forma ſuperius expreſſis, iuſtificandam fore volumus; Vicario cæteroquin noſtro committentes, vt pariformiter procedat, quatenus Miſſæ, quas prætermiſſas dignouerit, integrè ſuppleantur, prouidumque arbitrium adhibeat, in exigendis, vel remittendis pœnis, aduerſus eos latis, qui quantumuis Miſſas, ad quas tenentur, infra annum perſoluerint, eas tamen extra diem, & vltra tempus, præter formam ſibi præſcriptam, celebrauere.

Vt

§. VI. Vt porrò ad vnguem præmiſſa compleantur, Vicario noſtro Generali iniungimus, quatenùs in Ciuitate, quin etiam in cæteris Diœceſis noſtræ locis (cum ad ea ex munere accedere, ac diuertere tenetur) itemque Foraneis, vt in eorum reſpectiuè reſidentijs, præmemoratos Miſſarum libros, ſæpiùs recognoſcant, oneraque earumdem Miſſarum, quibus Eccleſiæ, Locaue pia ſibi ſubiecta exiſtunt obnoxia, infra duos menſes in peculiari Cancellariæ libro ordinatim, ac diſtinctè, adnotari curent.

§. VII. Quicunque Miſſas, ſiue ratione Beneficij, ſiuè iure legati celebrare tenentur, eas pro anima fundatorum, vel legantium applicandas fore nouerint, quantumuis id ſpecialiter in fundatione, ſeù legato, expreſſum nequaquam fuerit.

§. VIII. Quoniam verò æquum eſt, & rationi valdè conſentaneum, vt feſtiuis diebus, fidelium commoditati ſtudioſè conſulatur; Volumus idcircò, & ſeriò mandamus, vt in noſtra Cathedrali, & cunctis Collegiatis, prima Miſſa ſummo mane, vltima circa meridiem, reliquæ autem intermediæ ſtatutis horarum interuallis celebrentur; vtque exactius eiuſmodi ſeruetur ordo, Capitularibus prælibatarum Eccleſiarum præcipimus, vt tabellam in ſingulis Sacriſtijs exponendam quantociùs

fieri

fieri curent, quæ certam horam referat, qua eorum quiſque, iuxtà propriarum Eccleſiarum inſtitutum, celebrare debet. Quòad tempus Miſſæ conuentualis perſoluendæ, ſeruari iubemus diſpoſitionem in Seſſione 2. Cap. 3. De Chori diſciplina §. 3. *Vt autem tempus*, indictam. Ferialibus itidem diebus, prærecenſitas Miſſas, in aurora, & circa meridiem celebrandas, nec non Conuentualem, vbi perſolui conſueuit, nunquàm prætermitti pariter mandamus.

§. IX. In Eccleſijs Parochialibus, vbi plures celebraturi Sacerdotes exiſtunt, curent Parochi, vt modo, quo deſuper præfertur, horæ ad celebrandum illis diſtribuantur. Vbi verò nulli ſunt, vltrà proprium Parochum Sacerdotes, vnicam eius Miſſam nedum feſtiuis, ſed & ferialibus quibuſque diebus, hora populi commodo congruentiori, ac magis accomodata, nunquàm tamen poſt meridiem celebrare, ſub pœna noſtro arbitrio iniungenda, teneatur.

§. X. Singulis annis, anniuerſaria occurrente Eminentiſſimi Epiſcopi conſecrationis die, poſt Conuentualem, alterã in Eccleſia Cathedrali, iuxtà formam in Miſſali Romano præſcriptam, decantari Miſſam, & ab omnibus Sacerdotibus, tàm Ciuitatis, quàm cæterorum Diœceſis locorum, in peculiaribus eorum Miſſis, eiuſdem conſecrationis

nis commemorationem fieri, necnon idipſum in ipſamet Cathedrali ſeruari iniungimus, quoties prærecenſita dies anniuerſaria in Dominica, vel feſto duplici coincidere contigerit.

§. XI. Eccleſiarum quarumlibet Capitulis, Parochis, & piorum locorum Adminiſtratoribus diſtrictè prohibemus, nè perpetua Miſſarum onera, ſine Vicarij noſtri Generalis licentia admittere audeant; quandocunque autem eiuſmodi obtenta permiſſione, illa obeunda ſuſceperint, piam inſtituentium diſpoſitionem, ac voluntatem adamuſſim, complendam fore meminerint.

§. XII. Ad turpem abolendum abuſum, deteſtabilis auaritiæ vitium redolentem, diſtrictè mandamus, vt Miſſæ ad rationem tributæ eleëmoſynæ, & inſtituti ſtipendij celebrentur, quantùmuis illud incongruum ſit, & vtcunque inæquale; easdem inſuper alteri celebrandas, aliqua ſuſceptæ eleëmoſynæ ſibi retenta portione, committi vetamus, imò ne quidem manuales pro celebrandis Miſſis eleëmoſynas recipi iubemus, niſi ante iam acceptis ſatisfactum fuerit, vel ad breue tempus ſatisfieri queat, quin etiam anticipatas pro futuris eleëmoſynis Miſſarum celebrationes, tanquam Eccleſiaſtico Iure exprobratas interdicimus.

§. XIII. Miſſas, ratione incongrui, & inæqualis, vel pro temporum viciſſitudine, dimi-

nuti ſtipendij, & eleëmoſynæ, ſine ſpeciali ſedis Apoſtolicæ Indulto reduci, aut moderari caueatur, nec quidquàm pro expenſis luminum, hoſtiarum, Sacrorumque ſuppellectilium detrahatur, niſi Sacriſtia redditibus, & emolumentis ſit omninò deſtituta, quo quidem in caſu, detrahendam in ſubſidium portionem à Nobis, vel Vicario noſtro Generali taxandam reſeruamus. Iam verò omnia hac in materia ad vnguem ſeruari iniungimus, quæ in decretis Sacræ Congregationis Concilij, auctoritate ſa. me. Vrbani VIII. ſub 21. Iunij 1625. editis, & adiunctis ibidem declarationibus continentur. Aduerſus autem tranſgreſſores idem Vicarius noſter, ad normam in Epiſtola circulari Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 15. Decembris 1663. traditam, animaduertere non prætermittat.

§. XIV. Potiſſimùm verò curet, vt iuxtà eiuſdemmet Epiſtolæ diſpoſitionem, tabellæ in Eccleſiarum Sacriſtijs exponendæ inſtituantur, in quibus quæuis perpetua Miſſarum, & anniuerſariorum onera, coram omnibus, quorum intereſt, ad hunc effectum vocatis, perſpectiſque ſingulis, ad ea quomodocunque ſpectantibus documentis cuiuis Eccleſiæ, loco pio, & Sacerdoti incumbentia, dilucidè, ac diſtinctè deſcribantur.

§. XV. Siquæ pecuniæ, ſiuè mobilia, pro Miſ-

Miſſis perpetuò celebrandis relictæ, vel relicta fuerint, illas, & illorum reſpectiuè pretium à die realis acquiſitionis, omni ſecluſa dilatione, penes ſacram ædem, vel idoneam perſonam ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, ab ijs, quorum intereſt deponi mandamus, ad effectum inueſtiendi in bonis immobilibus, eiſdemque fructiferis, cum expreſſa, indiuiduaque oneris impoſiti, mentione.

§. XVI. Dignitates, Canonici, & Beneficiati, tam Cathedralis, quàm Collegiatarum, in eorum Eccleſijs per ſeipſos diebus feſtiuis celebrare non negligant, quod ſi quandoque id per alios Sacerdotes præſtare maluerint, ordo deſuper in præſenti Capite §. 4. *Quoniam verò æquum eſt*, quoad horas præſcriptus, omninò ſeruetur.

§. XVII. Ad Sacerdotium nouiter promoti ſine licentia Vicarij noſtri Generalis, & antequàm per aliquem Sacerdotem ab eodem deputandum, de cærimonijs plenè inſtruantur, eaſque perfectè calleant, ad primam Miſſam celebrandam nullatenus admittantur; vtque à nouis eiuſmodi Miſſis, omnes ſordidi, fœdique quæſtus, necnon intemperantiæ inhoneſtas, ac immoderatæ iucunditatis exulent abuſus, indecoram eleëmoſynarum per Eccleſiam collectionem, conuiuia item, & choræas, penitus interdicimus.

§. XVIII. Miſſas inſuper non adhùc ritè probatas, in Eccleſijs celebrari diſtrictè prohibemus, & earum Rectores, qui illas ibidem celebrari permiſerint, pœnas pro arbitrio noſtro iniungendas nequaquàm effugient.

§. XIX. Parochi ſæpiùs dominos monere meminerint, vt proprijs famulis Ruri præſertim degentibus, liberam in diebus feſtiuis facultatem præſtent audiendi Miſſam, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacturis. Inſtitoribus pariter eorum, qui Ruri laborant, eamdem obligationem indicere; omnes item fideles paſſim inſtruere de eius virtute, valore, & efficacia, eoſdemque crebriùs hortari, quatenus vltra dies de præcepto, adhuc ferialibus, quotiès potuerint, intereſſe ſatagant.

CAPVT III.

De Beneficijs, & eorum Reſidentia.

§. I. ECcleſiaſtica Beneficia, quæ ad ſacrum Chriſti patrimonium pertinent, non ſecus, quàm gratis conferenda, haud ſanè alijs, quàm dignioribus, doctrinaque, ac ſcientia præſtantioribus, necnon vitæ integritate, atque morum probitate potioribus, fas eſt vt concedantur. Caueant itaque quicunque

ad

ad illa concurrere in votis habent, nè quidquàm pro eiſdem obtinendis contribuere, aut compromittere præſumant, aliàs excommunicationis pœnam, per Sacros Canones latam, ſubituros nouerint. Caueant itidem & quicunque, nè concurrentes ipſos deterrere, aut quouis modo ab eorum concurſu impedire audeant; pœnam alioquin excommunicationis ipſo facto pariter ſubibunt. Sciant vlterius qui Beneficia per ſimoniam adepti fuerint, eiſdem omninò fore priuandos, aliaſque pœnas incurſuros, per Pontificias conſtitutiones inflictas, ad quarum profectò rigoroſam exequutionem accerrimè procedemus. Eamdem ſimoniæ labem contracturos eſſe non ambigant Patroni, de Iure præſentandi, quo potiuntur, cuiuſuis ſibi promiſſæ contributionis intuitu diſponentes.

§. II. Quotieſcunque Beneficia, quæ curam habent annexam, vacare contigerit, publica quantocius edicta exponi, & affigi mandamus, quibus competens ad concurrendum terminus præſignetur. Concurrentes verò de requiſitis, iuxta præſcriptum Sacri Conc. Trid. Seſs. 24. Cap. 18. docere curent, ſeſeque infra legitimum tempus coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali, per tres ſaltem examinatores Synodales examinandos exhibeant; quòd ſi vnus dumtaxat ex prætendentibus

com-

comparuerit, examen pro prima vice differatur, nouaque affigantur edicta, itemque nouus per eadem terminus aſſignetur.

§. III. Examinatoribus, qui à concurrentibus examinandis, quidpiam ante, vel poſt examen, ſiuè directè, ſiuè indirectè exigere, aut recipere non dubitauerint, vel eiſdem, ea, quæ in examine percontanda habent, antecedenter ſuggerere, & aperire præſumpſerint, periurij pœnam comminamur, vltionemque Diuinam indicimus, & obteſtamur; quibus cæteroquin iniungimus, vt quoties ad examen habendum acceſſerint, iuramentum de eorum munere ſincerè, ingenuè, & fideliter exequendo, in Noſtris, ſeù Vicarij noſtri Generalis manibus præſtent; examinandis verò eas dumtaxat ſoluendas quæſtiones proponant, quæ circa ſuſcipiendi ab ipſis muneris obligationem verſantur. Examine tandem abſoluto, quos ſecretis ſuffragijs adhibitis, magis idoneos, ac digniores iudicauerint ad Nos referant.

§. IV. Extraneos à noſtra Diœceſi ad Beneficiorum concurſum, admitti nolumus, niſi à proprio Ordinario de vitæ integritate, & probatorum morum conſuetudine teſtimonium reportauerint, ac Nobis exhibuerint. Quamcunque autem collationem, Sacri Concilij Tridentini diſpoſitionibus, & huic noſtræ Conſtitutioni diſſonam, nullam, at-

atque inualidam declaramus. Iam verò, qui Apoſtolicarum litterarum vigore, Beneficium aliquod, ſiuè Curæ annexum, ſiuè omni Cura expers obtinuerint, antequàm ad eius poſſeſſionem admittantur, prælibatas litteras Apoſtolicas, à Nobis, vel Vicario noſtro Generali recognoſcendas, & Cancellariæ Epiſcopali per Cancellarium noſtrum regiſtrandas, producere teneantur.

§. V. De Beneficijs porrò Curæ annexis prouiſi, à propria reſidentia abeſſe caueant, iuxtà diſpoſitionem in Cap. de Parochis præſcriptam, qui verò Beneficijs Cura expertibus, ſed cæteroquin perſonalem reſidentiam exigentibus, potiuntur (vt ſunt Dignitates, & Canonicatus) ſine licentia Vicarij noſtri Generalis, ſub pœna ſcutorum trium, abeſſe non audeant, eaque temporibus Aduentus, & Quadrageſimæ, necnon in ſolemnioribus anni feſtiuitatibus, ſine rationabili cauſa, nullatenus concedenda, nulloque pacto alicui tradenda, quando tribus ex Capitularibus Cathedralis, & vni ex Canonicis Collegiatarum reſpectiuè præſtita fuerit.

NO-

NOMINA

Examinatorum Synodalium, qui immediatè poſt eorum electionum in manibus noſtris, iuxtà formam à Sacro Conc. Trid. præſcriptam, de eorum munere fideliter exercendo, Iuramentum præſtitere.

REu. Dominus Ioannes Baptiſta Barbetta I. V. D. in Cathedrali Eccleſia Archidiaconus, ac Theologus præbendatus.

R. D. Dominicus de Doctis I. V. D. Eccleſiæ Cathedralis Canonicus, & præſentis Synodi Secretarius.

R. D. Bartholomæus Galoppus I. V. D., ac inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Aricinæ Archipresbyter, Parochus, Vicarius Foraneus, & præſentis Synodi Orator.

R. D. Alphonſus Seriſta Sac. Theologiæ, & I.V.D, Archipresbyter, Parochus, & Vicarius Foraneus Caſtri Gandulphi, & præſentis Synodi Orator.

Fr. Vincentius Antonius Giouãnetti Ordinis Minorum Conuentualium Sancti Franciſci noſter Theologus, & eiuſdem facultatis Doctor, necnon in Ciuitate Albanen. Profeſſor.

Pater D. Paulus Camillus à Sancto Petro, Monachus, Congregat. Lombardiæ, Ordinis S. Hieronymi, ac Prior Monaſterij S. Pauli Albanen.

CA-

CAPVT IV.

De proceſſionibus, Alijsque functionibus celebrandis.

§. I. AD laudabilem confouendam Proceſſionum conſuetudinem (quæ vel ad implorandum Dei Opt. Max. in neceſſitatibus & communibus indigentijs auxilium, vel pro receptis à Diuina clementia beneficijs, eidẽ reddendis gratijs, ab Eccleſia Catholica antiquo, probatiſſimoque ritu, fuerunt inſtitutæ) vtque maiori, quo poteſt, ac par eſt, cultu celebrentur, eas dumtaxat haberi volumus, & mandamus, quæ ex Eccleſiaſtico inſtituto, quæue de more conſueuerunt; nouas verò, ac inſolitas ſine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia, quauis de cauſa ordinari, aut indici, omninò vetamus, Parochis, Foraneiſque Vicarijs iniungentes, ne ſub quocunque prætextu fieri permittant; & ſiquæ exinde contentiones, ſiuè exceſſus emerſerint, ad eundem Vicarium noſtrum Generalem deferant.

§. II. Quoties porrò conſuetæ, vel aliæ ex noſtra, vt præfertur, ſeù Vicarij noſtri Generalis permiſſione habendæ erunt, eiſdem, hora, quæ fuerit indicta, Clerici omnes, tam in minoribus,

quàm Sacris Ordinibus conſtituti, quiuis item Regulares, ſiuè Monachi, ſiue Fratres, necnon Laicorum Confraternitâtes, propria quæque inſignia, & indumenta geſtantes, cunctique alij, qui de iure, & conſuetudine tenentur, intereſſe non prætermittant. Ne autem vlla, ex ignorantia, abſentiæ ratio allegari queat, Parochis, & quibuſuis alijs, ad quos id ſpecialiter pertinuerit, diſtrictè iubemus, vt omnibus deſuper enunciatis diem, & horam habendæ Proceſſionis tempeſtiuè intimari curent, & abſentes ad noſtrum Vicarium Generalem deferant, ab eodem pro arbitratu mulctandos.

§. III. Vllam vnquam nocturno tempore haberi omninò vetamus, & quæ intimatis, vt præmittitur, diebus, & horis habendæ erunt, ab Eccleſia Cathedrali in Ciuitate, alibi verò à Collegiatis, ſiuè Parochialibus incipiant, & in eiſdem terminentur, niſi functionis ratio, ſeù vrgens aliqua neceſſitas, vel Vicarij noſtri Generalis, iuſtis de cauſis, interponendum mandatum, aliud exquirant.

§. IV. Publicæ proceſſionaliter tranſeundæ viæ (præſertim verò, cùm Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum circumfertur) à ſordibus, & quibuſuis immunditijs expurgentur, ibidemque nullæ inhoneſtæ, turpeſue imagines exponantur,

& dum

& dum inibi Proceſſio progreditur, omnes Artificum Officinæ claudantur, ipſiquemet Opifices ab eorum reſpectiuè artis exercitijs abſtineant. Omnes inſuper Chriſti fideles in Domino monemus, & efficaciori, quo valemus ſtudio, perhortamur, ne tunc temporis conuiuijs, ludis, aut intempeſtiuis conuerſationibus incumbentes, fructum piæ functionis corrumpant.

§. V. Eccleſiaſtici, tàm Sæculares, quàm Regulares ad Proceſſionem conuenientes, decenti ſeruata grauitate, & congruenti interpoſita diſtantia, bini, & bini, non inaniter confabulantes, ſed Deo preces porrigentes incedant, quatenus Diuinum eius auxilium implorantes, petitionum ſuarum conſequantur effectum; qui verò ab hac proceſſionaliter incedendi norma aberrauerint, arbitraria pœna plectantur.

§. VI. Mulieres ſeorſim à viris, honeſtis, non autem impudentiam redolentibus indutæ veſtibus, Proceſſiones comitentur, ad hoc, vt earum exindè morum pariter honeſtas, & iugis deuotionis argumenta, in publicam ædificationem colligantur.

§. VII. Regulares extra proprij Conuentus, vel Monaſterij limites, iuxtà reſolutiones, pluries à Sacra Rituum Congregatione editas, ſine noſtra, & Parochorum licentia, Proceſſiones du-

cere caueant, ſecùs pœnas per eaſdem reſolutiones impoſitas, irrefragabiliter ſubibunt.

§. VIII. Controuerſiæ, quas in publicis habendis Proceſſionibus exoriri contigerit, ad Vicarium noſtrum Generalem tempeſtiuè deferantur, ab eodem ritè reſoluendæ, quatenus verò, temporis neceſſitas, & anguſtiæ id non patiantur, partes in Domino obſecramus, vt ad dirimenda ſcandala, præmiſſis coram Teſtibus ſolitis proteſtationibus, de proprijs iuribus tuendis, locum citra præiudicium pro ea vice cedere, haud grauiter ferant.

§. IX. Sodalitatum Officiales, & alios, quibus competit, ſimiliter cohortamur, nè Proceſſiones, quamtumuis conſuetas, haberi ſinant tempore, quo in Parochialibus Eccleſijs Officia Diuina celebrantur.

§. X. Feſtiuos ſcloporum, & ſimilis generis tormentorum crepitantium ſonitus, procul à via, vbi Proceſſiones incedunt traducantur, ne ex eorum timore populi deuotio remittatur, aut incedentium ordo confundatur.

C A-

CAPVT V.

De Funeralibus, & Sepulturis.

§. I. DEcedentium in Catholica fide cadauera ſepulturæ commendare, digniſſimum Chriſtianæ pietatis opus, Deoque apprimè gratum eſſe, Tobiæ ſenioris, necnon Iudæ Machabæi exemplis, Sacræ paginæ teſtantur. Iam verò, vt nihil in eo ritè præſtando prætermittatur, quod ipſamet pietas Chriſtiana requirit, & Ritus Eccleſiaſticus expoſcit,

§. II. Sanciendum in primis cenſuimus, vt cum primùm Parochi aliquem in ſuis Parochijs extremum clauſiſſe diem acceperint, propriæ Parochialis Eccleſiæ campanas pulſari demandent, quatenus fideles, eo ſigni moniti, humanæ mortalitatis memores reddantur, & innocentem vitam ducere, aut præuaricantem emendare, necnon orationibus, atque precibus animæ defuncti ſuffragari ſatagant.

§. III. Ipſi verò vita iam functi, ante dilapſas, ab eorum interitu, duodecim ſaltem horas, non ſepeliantur, nec quidquam pro eiſdem humandis paciſcatur, ſed conſuetæ duntaxat funerum eleëmoſynæ recipiantur; nec item ratione Quartæ funeralis

neralis ſoluendæ ſepultura retardetur, quam cæteroquin, iuxtà cuiuſque loci ſolitum vſum, ſeù probatum ab Eccleſia Cathedrali morem, ſolui iubemus; egenorum autem, & miſerabilium perſonarum cadauera gratis omninò ſepeliri volumus, atque præcipimus.

§. IV. Qui in ſtatu pupillari, ſeù minoritatis deceſſerint, in maiorum ſuorum ſepulchris, vel in Eccleſia Parochiæ, intra cuius confinia inhabitabant, & prout parentibus viſum fuerit, ſunt ſepeliendi; ſi verò in ætate maioritatis conſtituti fuerint, eorum teſtamentariæ diſpoſitioni, vel ſi inteſtati obierint, eorumdemmet electioni, ſiuè voluntati, per ſufficientes teſtes ſummariè probandæ ſtandum erit; quòd ſi eorum voluntas, nec ex teſtamento, nec ex teſtium depoſitionibus conſtare valeat, in ſepulchro maiorum, eoque non exiſtente, in Parochiali ſepeliantur.

§. V. Regulares, in quorum Eccleſijs è vita decedentes humari diſpoſuerunt, horum cadauera leuare caueant, Parocho non præſente, vel eo non requiſito; nec itidem ipſi, aut alij quiuis Eccleſiaſtici, quemquam ad eligendam in proprijs Eccleſijs ſepulturam, aut electam non immutandam, pacto quolibet inducere audeant, ſecùs pœnam excommunicationis per Sacros Canones inflictam, aliaſque pro arbitrio noſtro iniungendas

ſubi-

ſubibunt, & electionibus modo quo præfertur factis, tanquam nullis, & inſubſiſtentibus, nequaquam ſtandum erit.

§. VI. Sine noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia in ſcriptis impetranda, mortuorum quorumlibet cadauera, in Oratorijs, ſeu Eccleſijs Confraternitatum (niſi aliter ſpecialibus eorum, vel earum indultis diſpoſitum fuerit) ſepeliri vetamus, ſecùs interdicta, & reſpectiuè interdictæ remaneant; impetrandam autem licentiam, iuribus Parochialibus, aut Parochis nullum prorſus præiudicium allaturam intendimus.

§. VII. Quicunque Eccleſiaſtici, ſiue Regulares, ſiuè Sæculares, ad funus celebrandum inuitati, in Parochialem Eccleſiam conueniant, exindè iuxtà propriam cuiuſque præeminentiam, ſeù antianitatem, ſeruata Ritualis Romani norma defuncti domum proceſſionaliter adituri; Parochus autem eorum, quæ funeris directionem reſpiciunt curam adhibebit.

§. VIII. Nunquam pro defunctis humandis Eccleſiarum pauimenta excauentur, ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia, eaque ſine rationabili, & probata cauſa, nullatenus tradenda; nec quidquam pro ſepulturæ loco (niſi aliqua aliter pia conſuetudo permiſerit) paciſcatur, vel exigatur ſub pœna ſcutorum viginti quinque. In

ſepul-

ſepulchris porrò, quæ vel ſub Altaribus, vel propè illa, citra duos paſſus, condita reperiuntur, niſi aliter in Viſitatione noſtra diſpoſitum fuerit, mortuos in poſterum ſepeliri prohibemus. Cadauera item ſuper pauimenta repoſita exindè iuxtà eiuſdem Viſitationis noſtræ diſpoſitionem remoueri, nec ibidem alia deinceps, ſine noſtra permiſſione c ollocari iubemus.

§. IX. Peculiare pro paruulis baptizatis, in vnaquaque Eccleſia Parochiali ſepulchrum extruatur, & in cooperculo eiuſmodi excudatur inſcriptio. SEPVLCHRVM PARVVLORVM. Aliud item ſeorſim à Laicorum ſepultura, pro Sacerdotibus condi, vehementiſſimè peroptamus, vtque effectiuè vbique earundem Eccleſiarum inſtituatur, ſtudiosè commendamus.

§. X. Ante Solis ortum, vel poſt eius occaſum, ſepeliendos defunctos, abſque Vicarij noſtri Generalis licentia ad Eccleſiam deferri prohibemus; delatorum autem, qui vulneribus confoſſi deceſſere à Curia ſæculari cadauera recognoſci, Parochi permittere caueant, multò magis eadem ſepulturæ iam demandata ad hunc effectum exhumari, ſecus pœnæ ſcutorum decem ſuccumbant.

§. XI. Caueant vlterius tàm ipſimet Parochi, quàm alij quicunque, quibus competere poterit

terit ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittere hæreticos excommunicatos notorios, ac denunciatos interdictos, dum viuerent, ab ingreſſu Eccleſiæ, inconfeſſos, Sacra Communione tempore Paſchali non refectos, vſurarios, blaſphemos, publicoſque peccatores, necnon cæteros quoſcumque quibus ex Sacrorum Canonum diſpoſitione eſt deneganda, aliter pœnas per eoſdem Sacros Canones latas, nequaquam effugituros ſciant; Si verò aliqui ex deſuper enunciatis, tumulati iam fuerint, confeſtim exhumari, & in loca profana, procul ab Eccleſijs proijci, & Eccleſias ipſas, aut cœmeteria reconciliari mandamus.

CAPVT VI.

De Legatis, & Pijs Diſpoſitionibus.

§. I. VT deuotæ fidelium voluntates, piæque diſpoſitiones ad Dei cultum, pauperum, ac egenorum ſuſtentationem, necnon defunctorum ſuffragium ordinatæ, ab ijs, ad quos pertinet, exactè compleantur, curæ noſtræ paſtoralis partes potiſſimùm exigere videntur, ac propterea,

§. II. Notarijs, & quibuſcunque Cancellarijs, vel eorum vices quomodolibet ſupplentibus,

quos pro eiuſmodi diſpoſitionibus rogandis requiri contigerit, quiue ſcripturas quaſuis circa illas verſantes effecerint, enixè mandamus, vt earumdem, infra menſem à die rogationis, ſi inter viuos; ſi verò in vltima voluntate factæ fuerint, ſimiliter infra menſem, ſed à die obitus diſponentis computandum, notulas propria manu ſubſcriptas, in Cancellaria noſtra Epiſcopali producant, qui autem eas infra præfixum terminum exhibere neglexerint, in caſum à Nobis Seſs. 1. cap. x 1. nono, & vltimo loco reſeruatum incidiſſe nouerint, abſoluique nullatenus queant, donec præſenti noſtro Synodali decreto paruerint. Curiæ porrò noſtræ Epiſcopalis Cancellario ſpecialiter iniungimus, vt pia loca, & perſonas, in quorum, ſeù quarum fauorem præmemoratæ diſpoſitiones factæ fuerint, adhuc infra menſem à notitia in Cancellaria, vt præfertur, tradita commonere non prætermittat, aliàs pœnis arbitrarijs mulctandum fore ſciat. Si qui demum pium aliquod opus exequendum oretenus à diſponentibus in commiſſis habuerint, illud infra tempus ab ipſiſmet deſignatum, & quò citius potuerint, complere ſatagant, ſecus excommunicationis latæ ſententiæ, pœnam ſubeant.

§. III. Parochi, & quiuis Eccleſiarum Rectores, necnon piorum locorum Adminiſtratores, vt

vt primùm quidquam in earundem Eccleſiarum, locorumue piorum fauorem, quarum,& quorum reſpectiuè curam gerunt, legatum, ſeù diſpoſitum fuiſſe didicerint, nomina legantium, piaſque quaſcunque diſpoſitiones, nomina item Notariorum rogatorum, dies inſuper, & annos rogituum in Inuentario (quod ſequenti cap. *De Bonorum Eccleſiarum conſeruatione*, inſtituendum iniungemus) notare, ac diſtinctè deſcribere non immorentur. Curent itidem, vt à Cancellario Epiſcopali in originali Inuentario (quod iuxta aliàs ſancita, in Archiuio noſtro ſeruari decreuimus) quantocius inſerantur. Si verò Miſſarum onera per præmemoratas diſpoſitiones legata fuerint, & pro eorum acceptatione, licentia noſtra præceſſerit, in tabellis, quas in Sacriſtijs exponendas alibi pariter demandauimus, ſimiliter adnotentur.

§. IV. Eiſdem Parochis, Rectoribus, & reſpectiuè adminiſtratoribus præcipimus, vt ſedulam curam adhibeant, quatenus prærecenſitis pijs diſpoſitionibus infra ſex menſes à die, qua earum, vt præfertur, notitia in Cancellaria Epiſcopali tradita fuerit ab ijs, qui tenentur (ſeruatis ſemper diſponentium præſcriptionibus) ad expeditionem vſque mandati ſatisfiat, quòd ſi poſt dilapſum ſatisfactionis tempus, ipſorummet Parochorum, aliorumue deſuper enunciatorum incu-

ria, legatorum piorum conditionem deteriorari contigerit, damnum ex debitæ ſatisfactionis dilatione ſequutum, de proprio reficere, & compenſare teneantur. Poſtquam autem piæ teſtantium diſpoſitiones adimpletæ, & exequutioni demandatæ fuerint, ſi in pecunijs, aut mobilibus conſiſtant, iuxtà eorundem diſponentium voluntatem, & prout in ſequenti capite trademus, inueſtiantur, & reſpectiuè conſeruentur, vel diuendantur.

§. V. Quatenus verò eiuſmodi legata in nullius cedant certi loci emolumentum, vel ab illis, ad quos pertinet, eorum adimplementum negligatur, noſtrum erit, & reſpectiuè Vicarij noſtri Generalis pauperum Procuratori infra deputando iniungere, vt intra deſuper præfatum tempus, præmiſſas diligentias exequutioni demandare ſatagat; eiuſdem intereà Vicarij noſtri Generalis conſcientiam oneratam volumus, vt ſuper huiuſce decreti Synodalis obſeruantia, vigilantem curam adhibeat.

§. VI. Iam verò, vt præmiſſa omnia pleniorem obtineant exequutionem, Cancellario noſtro Epiſcopali præcipimus, vt in libro ad hoc cum ſuo indice ſpecialiter compacto, & benè chartulato quaſcumque pias diſpoſitiones, & nomina tum diſponentium, tum etiam Notariorum rogatorum,

torum, diemque, & annum rogituum, receptas inſuper partitas, & vſus, in quos erogatæ, ac redactæ fuerint, diſtinctim, ac ordinatim regiſtrare non negligat; quem ſanè librum ſæpiùs à Vicario noſtro perquirendum, ac recognoſcendum volumus, iuris & facti remedijs contra contumaces, proceſſuro.

§. VII. Qui quouis titulo, ſiue nomine, eiuſmodi legata, piaſue diſpoſitiones exequutioni demandare tenentur, grauiter ſe peccare nouerint, ſi illam culpabiliter neglexerint; quinimò & pœnis fore obnoxios, quæ in Sacris Canonibus præſcribuntur; vtque nulla ignorantiæ ratio illis ſuffragari valeat, ſpeciale ſuper hoc, edictum condidimus ad calcem præſentium Synodalium Sanctionum inſerendum, quod bis in anno à Parochis inter Miſſarum ſolemnia populis notificari mandamus.

§. VIII. Aduentante caſu, quo quiſquam teſtamentum ad pias cauſas in extrema voluntate coram Parocho Notarij vicem ſupplente condiderit, illud originaliter ab ipſomet coram teſtibus ſubſcriptum, peculiari capſula recluſum, in noſtrum Epiſcopale Archiuium poſt menſem ſub pœna pro arbitrio noſtro iniungenda, deferre teneatur; ibidem conſeruandum; clauem autem capſulæ penès ſe retinere poterit.

Pium,

§. IX. Pium, ſanctumque Montis mortuorum in ſuffragium animarum purgantium inſtitutum, ſummoperè commendantes, illud non modò conſeruare, ſed & augere cupientes, regulas omnes, ſiuè ſtatuta exactè ſeruari feriò mandamus, quæ pro optimo eius regimine, Virgilius claræ memoriæ Cardinalis Vrſinus Prædeceſſor noſter condidit, eiſque, quatenus opus ſit, præſenti noſtro Synodali decreto, confirmationis noſtræ robur adiungimus.

§. X. Adamuſſim ſimiliter obſeruari præcipimus omnes regulas, ad bonam Montium frumentariorum, necnon ſubſidiorum dotalium directionem traditas, quas ſanè ſub authentica forma, in Archiuium noſtrum Epiſcopale, ab eorum adminiſtratoribus, ſiuè officialibus, infra menſem deferri, & ſuper earundem obſeruantia, ſolertem curam, Vicarium noſtrum Generalem impendere iubemus, quem etiam hortamur, vt accurato ſupercilio inuigilare ſatagat, quatenus pecuniæ debitis, ac tutioribus adhibitis cautionibus iuueſtiantur.

§. XI. Meminerint tandem omnes, qui ſiuè directè, ſiuè indirectè, legata ad pias cauſas impedierint, ſtrictiſſimam Deo omnipotenti rationem fore reddituros, iramque Diuinam ab eorum impietate promeritam vltionem deſumpturam.

CAPVT VII.

De Bonorum Eccleſiarum, Piorumque Locorum conſeruatione.

§. I. ECcleſiarum, piorumque locorum bona, Diuino cultui, & congruenti miniſtrorum ſuſtentationi deſtinata accurato ſtudio cuſtodiri, ſolertique cura conſeruari, ex animo peroptantes, Eccleſiæ Cathedralis, & Collegiatarum Diœceſis noſtræ Capitulis, Parochis inſuper, & quibuſuis piorum locorum adminiſtratoribus, expreſsè, ſtrictèque mandamus, vt infra ſex menſes à publicatione præſentium Synodalium Sanctionum computandos (ſeruatis ad vnguem omnibus ac ſingulis de iure ſeruandis, cunctis itidem, & quibuſcumque, quorum intereſt, citatis) authenticum, ac ſolemne omnium tàm ſtabilium, quàm mobilium, iurium quoque præmemoratis Eccleſijs, pijſque locis, quomodolibet competentium, iuxtà formam à Cancellario noſtro ſingulis tradendam, conficiant Inuentarium, cuius duplicatum in Archiuio Epiſcopali conſeruandum tranſmittant; originale verò in Archiuio particulari cuiuſque Eccleſiæ cuſtodiendum reponant.

§. II. Ipſum autem peculiare Eccleſiarum Archi-

chiuium, vbi eiuſmodi originale Inuentarium reponendum iniunximus, ad normam ſuperius in Seſs. 2. Cap. 2. *De Capitulo, & Canonicis* §. 18. *Earundem ſcripturarum* traditam, conſtruatur, cunctaque ibidem hac in parte ſancita, adamuſſim ſeruentur.

§. III. Cùm porrò bona, iuraque, & libros, atque ſcripturas augeri contigerit, decernimus, ac ſtatuimus, vt tàm in præfatis Inuentarijs, quàm notulis (irrefragabiliter in Archiuijs, vti præfertur, retinendis, & conſeruandis) per Notarium rogatorum, inque eorum defectu, Archipresbyterorum manus ſuperaddantur; vtque ſalubris hæc, & apprimè proficua prouiſio, omnimodum, quem deſideramus, effectum ſortiatur, volumus, vt Vicarius noſter Generalis in Ciuitate, & alibi Foranei, ad illum ſingulis ſemeſtribus (iuxtà diſpoſitionem in vltimo præſentis Seſſionis Cap. §. 9. *Quoniam verò*) acceſſuri, eiuſmodi Inuentaria, atque notulas diligentiſſimè recognoſcant, nec non ſedulò ſcrutentur, an in eiſdem omnia, & ſingula, quæ temporis progreſſu, in Eccleſiarum, locorumque piorum emolumentum reſpectiuè accreuerunt, fideliter deſcripta fuerint. Iam verò eadem Inuentaria cum præmemoratis notulis, in prima, quæ habenda erit, viſitatione (peritis adhuc adhibitis perſonis) exactius conferentur, & ſi quid

quid prætermiſſum, vel non benè appoſitum, aut alteratum fuiſſe apparuerit, prout ratio dictauerit, prouiſum iri omnes nouerint.

§. IV. Quoties pecuniæ ſiue mobilia reinueſtienda occurrent, hæc vel illæ, Eccleſiarum Rectoribus, ſeù locorum piorum officialibus, aut adminiſtratoribus, breui manu nequaquam tradantur, ſub pœna inualiditatis factæ conſignationis, quoad tradentes, & grauiſſima pro arbitratu iniungenda, quoad recipientes, ſed de licentia Vicarij noſtri Generalis in ſcriptis expedienda, præuioque Inſtrumento (cuius authenticum tranſumptum in Epiſcopalem Cancellariam tranſmitti iubemus) penes tertiam perſonam idoneam deponantur. Reinueſtimentum itidem, nonniſi de eiuſdem Vicarij Generalis licentia, & eorum omnium, quorum intereſt, conſenſu, fieri volumus; caueat tamen ipſemet Vicarius Generalis, huiuſmodi licentiam, ad pecunias in emptionem cenſuum erogandas indulgere, antequam de idoneitate vendentium, necnon valore, ſufficientia, & libertate fundorum, ſuper quibus cenſus imponendi fuerint, ſibi plenè conſtiterit.

§. V. Alienationes autem bonorum ſtabilium, quæ Eccleſijs ſunt contigua, nullo prorſus pacto fiant, nec aliorum quantumuis diſtantium, per quodcumque pactum, quo dominium, ſiuè poſſeſ-

ſio,aut ius aliquod in rem transferatur. Nullæ item fiant eorundem bonorum permutationes, aut diuiſiones, ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & actorum inualiditatis, priuationis inſuper Beneficiorum quoad Clericos titulares, niſi euidens Eccleſiæ alicuius vtilitas, aut vrgentiſſima neceſſitas id expoſcat, & in eiuſmodi caſu Apoſtolicum beneplacitum accedat, vel reſpectiuè noſtra licentia in caſibus dumtaxat in Cap. *Terrulas* comprehenſis, concedenda. Poſſeſſionem præterea eorundem bonorum dari caueatur, antequam ſententia ſuper *Si in euidentem* legitimè proferatur; nec vllæ commutationes perficiantur, niſi cautione præuia de euictione, regreſſuque ſuper bonis commutatis, reſeruato. Arbores ſimiliter cæduas, in Eccleſiarum fundis exiſtentes, abſque licentia præcidere nemo audeat.

§. VI. Periti ad bonorum Eccleſiaſticorum valorem æſtimandum adhibiti, qui illum reali minorem doloſè adiudicauerint, vel circa rei æſtimandæ conditionem, quidquàm, quod præiudicium importare poteſt, malitioſè occultantes, vltra pœnam periurij, eandem Excommunicationem ſubire nouerint, quàm alienantes, ac itidem ad damni refectionem de proprio teneri.

§. VII. Temporaneæ eorundem bonorum locationes, vltra triennium nullatenus fiant, nun-

quam

quam verò ſine præuio Inſtrumento per publicum Notarium rogando, ibidemque prælibatorum bonorum fines, qualitates, & circumſtantiæ ſignanter explicentur, idque præſertim ſeruandum iniungimus, quoties huiuſmodi locationes renouantur, vel ad eas vicini adhibentur, quos quidem ſine noſtra licentia admitti vetamus, ſicut & quoſcumque Beneficiatos, & locorum piorum officiales, ſiuè adminiſtratores, aut eorundem conſanguineos vſque ad quartum gradum, quam ſanè licentiam neutiquam conſequuturos ſciant, niſi Edicta ſuper faciendis locationibus præmittantur, & alij vtiles conductores non compareant.

§. VIII. Iam verò præmiſſa ſeruanda potiſſimum erunt in emphyteuticis locationibus, ſiuè conceſſionibus, in quibus profectò faciendis exactiſſimè adhuc ſeruari debent Sacrarum Congregationum Concilij, necnon Epiſcoporum, & Regularium reſolutiones, quatenus inſuper bona concedenda, in Emphyteuſim dari haud conſueuerint, Iudicis decretum expectandum erit, vt nimirum peritorum æſtimatio præcedat, eorumque qualitates, redditus annui, & onera, quibus ſunt obnoxia, conditiones item, pacta, necnon oblationes exprimantur, ac tandem, ſiqui ſint, quorum intereſt, audiantur.

§. IX. Sin autem præmemorata bona in Em-

phyteuſim dari conſueuerint, omnes adhibeantur ſolemnitates, & redditus præſertim conſiderentur, tàm præſentis, quàm antecedentium temporum, vt exinde faciendarum conceſſionum vtilitas euidentiùs deduci queat, quæ tamen vltra tertiam generationem nequaquam fiant, & prima, poſt exactam primi conductoris vitam, dilapſa pariter intelligatur; Si verò mos in contrarium vigeat, pro eodem continuando, à Vicario noſtro Generali permiſſio requiratur. Cùm porrò bona in emphyteuſim conceſſa, ad Eccleſias, piauè loca deuolui contigerit, eadem, Nobis inconſultis, poſſeſſoribus, ſucceſſoribuſuè in linea non reſtituantur. Cæterum in conceſſionum contractu, ſiuè Inſtrumento eam ſignanter conditionem apponi mandamus, vt nimirum conductor ſine expreſſa licentia, prædium ad certum finem conceſſum, in alium conuertere nequeat, ibidem etiam nomen, qualitas terræ, quantitas, confinia, omneſque aliæ circumſtantiæ, diſtinctè, ac clarè exprimantur, quæ Eccleſiæ profectum, atque vtilitatem reſpiciunt. Nè autem directum, vel vtile eius dominium, præiudicium aliquod ex temporis diuturnitate patiatur; ſolerter inuigilent Beneficiati, & quiuis locorum piorum adminiſtratores, vt Canones, Laudemia, atque Quindennia à debitoribus, tempeſtiuè ſoluantur, deque conſenſu præſtito, ac ſolutionibus

ex

ex indè ſequutis, publica reſpectiuè inſtrumenta conficiantur, in ſingulis quibuſuis Archiuijs reponenda.

§. X. Eiſdem iniungimus, vt in libro ad hoc ſpecialiter inſtituendo, non tantùm deſuper enunciata Inſtrumenta, ſed & quæcunque in eorummet, atque etiam Eccleſiarum, piorumque locorum fauorem, condita teſtamenta, legata ſimiliter, & apocas, & quæuis alia documenta deſcribant; vtque præmiſſa omnia debita exequutione fruſtrari nequaquam contingat, Vicarij noſtri Generalis vigilantiæ commendamus, vt cum ad præfatas Eccleſias, locaque pia noſtræ huiuſce Diœceſis diuerterit, prærecenſitos libros volutare, & an cuncta ſuperius diſpoſita, in ijs adnotata fuerint, recognoſcere non prætermittat; id ipſum quoſque Foraneos in proprio diſtrictu, habita etiam cum Inuentario eiuſdem loci collatione, necnon ſeniorum informatione, ſedulò ſeruari non pigeat.

§. XI. Omnes præterea, ac ſingulos, qui bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem gerunt, in Domino cohortamur, vt eorundem conſeruationi pro viribus incumbant, redditus præſertim pro ea, ante alias extraordinarias expenſas deſtinantes; debita verò contrahere prorſus abſtineant; quatenus autem aliqua contracta iàm fuerint, aliaue de nouo contrahenda vrgens neceſſitas ſuaſerit,

ipſa-

ipſamet accurata ſollicitudine, quantociùs extinguere ſatagant, ſumptus interim minùs neceſſarios prouidè moderantes. Enunciata cæteroquin bona in toto, vel in parte deſtruere, ſeù in aliam formam, vllo ſub prætextu, etiam meliorationis, ſine noſtra, aut Vicarij noſtri Generalis licentia, redigere omninò caueant.

§. XII. Ad præcauendas præmemoratorum bonorum vſurpationes, Parochis ſeriò iniungimus, vt Edictum promulgent aduerſus vſurpantes, nec non alicuius Eccleſiæ, aut Loci pij bona, iura, fructus, & emolumenta cuiuſuis generis indebitè retinentes; contra item conſentientes, & ſi queant, non impedientes, ſcientes ſimiliter, & non reuelantes. Vlterius omnibus, ac ſingulis Eccleſiarum Rectoribus, & locorum piorum adminiſtratoribus ac præſertim Beneficiatis, præcipimus, vt iuramenti memores, peripſos in Beneficiorum adeptione, vel muneris ſuſceptione præſtiti, omnem operam, (Nobis etiam, vel Vicario noſtro Generali conſultis) adhibeant, quatenus prærecenſita bona, iura, fructus, aliaque ſuperius expreſſa, quæ à quibuſuis vſurpata fuiſſe, ſiuè iniuſto titulo retineri ſciuerint, quàprimùm recuperare, & ſi nonnullas tranſlationes, commutationes, compoſitiones, aut innouationes in Eccleſiarum præiudicium, vel ſine licentia, factas eſſe didicerint, omnia in priſtinum reuoca-

uocare, litigioſa itidem iura, opportunis iuſtitiæ temperamentis promouere, toto conatu ſatagant.

§. XIII. Loci cuiuſque pij mobilia, & cuiuſlibet generis ſuppellectilia, alijs, ſine licentia commodari, multoque magis ad profanos vſus aſportari, diſtrictè prohibemus.

CAPVT VIII.

De Foro Epiſcopali, eius Officialibus, & Archiuio.

§. I. IVdices in terra conſtituti, hoc ſaluberrimo ab Eccleſiaſte præmonentur effato: *Diligite Iuſtitiam, qui iudicatis terram*; quo circa in id potiſſimùm mentis aciem, inamouibiliter fixam habere debent, vt ſcilicet in eorum iudicijs ſupremum Iudicem Deum imitentur, qui iuſtiſſimus eſt, & cum tempus aduenerit, etiam iuſtitias iudicabit.

§. II. Vicarium proinde noſtrum Generalem, omneſque, ac ſingulos inferiores in noſtra Diœceſi poſitos Iudices, perhortamur, vt controuerſias, & diſſidia inter litigantes, præſertim verò conſanguineos, pro viribus dirimere, eaque amicabiliter componere ſtudeant; ſi verò id aſſequi nullatenus queant, cauſas ſaltem ſtudioſa ſollicitudine,

dine, & maiori, qua poterunt breuitate expedire, callidaſque artes, cauillationes, atque verſutias contendentium eludere conentur.

§. III. Ipſe porrò Vicarius Generalis diebus non feriatis, opportunioribus horis, per ipſummet deſtinandis, audientiam præbeat; feriatis autem nulla acta ciuilia fieri ſinat (ſecus ea ex nunc irrita, ac inualida declaramus) niſi forte cauſa pia ſit, vel matrimonialis. Diebus tandem feſtis, iuramenta nec recipiat, nec à Cancellario admitti permittat, niſi in pijs, vti præfertur, vel matrimonialibus cauſis, & aliquando adhuc in criminalibus, cum videlicet ità neceſſitas, vel rationabile motiuum exegerit.

§. IV. Cancellarius autem in actorum libro, qui manuale dici ſolet, omnia, & ſingula acta ciuilia, necnon citationes quotidie tranſcribat; ſi verò aliquæ ex litigantium incuria, deſignata die haud reproductæ fuerint, eas reiterari curet, eorumdemque litigantium nomina in ſuis rubricis ordine alphabetico diſponat; reproductas citationes in audientia legat, & prolata à Vicario Generali decreta, in eiſdem à tergo deſcribat, ac deindè illas, vnà cum ipſis decretis, in prælibato actorum libro incunctanter tranſcribere non negligat, eaque alterare, vel aliquam in ijs tranſcribendis intercapedinem relinquere, omninò caueat, ſecùs

pœ-

pœnam contra falſarios iniunctam luiturum fore nouerit. Vicarium vlteriùs noſtrum Generalem præmonemus, vt poſt abſolutam cuiuſque diei audientiam, actus inibi habitos, & in manuali deſcriptos, propria ſubſcriptione vallare non omittat. Iurium ac proceſſuum productiones, non per ſimplicem ad folium relationem, ſed clarè, ac ſpecificè fieri volumus, cum expreſſione nimirum diei, menſis, & anni, atque Notarij rogati nominis; & ſignanter cum proceſſus producuntur, nomina adhuc eorum, inter quos iudicium pendet, & numeros foliorum exprimi iubemus. In producendis demum libris, ſpecificari ſimiliter mandamus; cuiuſque eorum titulum, ſiuè inſcriptionem, necnon initium primæ ſcripturæ, ſeù Inſtrumenti ibidem tranſcripti, initium item, & finem vltimi, ac pariter foliorum numerum.

§. V. Taxam emolumentorum Cancellariæ, à Nobis inſtituendam exactè obſeruet, eamque ibidem ſemper affixam retineat; idipſum quoque à Vicarijs Foraneis omninò ſeruandum iniungimus.

§. VI. Proceſſus Criminales nondum completos, ſub claui recluſos cuſtodiat, eoſque partibus, aut alijs quibuſcunque manifeſtare, vel eorum tranſumpta præbere non audeat. Definitos autem, & iam concluſos, filo colligatos reponat, &

ſequentes in Cancellaria codices, ſiue libros (vltra eos, quorum cuſtodiam, vigore præſentium conſtitutionum Synodalium demandatam habet) ſemper paratos retineat.

§. VII. Librum nempè querelarum, in quo, die, menſe, & anno prænotatis, omnes ipſæ, ſingulæque querelæ, ac nomen, & cognomen, tam querelantis, quàm accuſati (Tribunalis, & Curiæ more ſeruato) deſcribantur.

§. VIII. Inquiſitionum, necnon præconiorum, ſiuè, vt vulgò dicitur, Bannimentorum, quæ contra contumaces fiunt, die ſimiliter, menſe, & anno ibidem prænotatis.

§. IX. Mulctarum, in quo pœnæ à mulctatis ſolutæ (eiuſmodi ſeruato ſtylo) præſcribantur, in vna nempè folij parte dies, menſis, & annus imprimis, deindè nomen, & cognomen ſoluentis, ac conſequenter eius delictum ſpecificetur; in alia verò pœnarum ſolutarum depoſitarius, mulctas pecuniarias à ſe receptas, & earum acceptilationem, ſeù quietantiam vulgò dictam, proprio calamo prodat, vel ſubſcribat; ſtatim autem ac eædem mulctæ in pium aliquod opus erogantur, illud ad calcem ipſiuſmet quietantiæ ſimiliter ſpecificari volumns, atque mandamus.

§. X. Librum præterea, in quo per extenſum, ac prout iacent, Bullæ omnes, tam Apoſto-

licæ, quàm Ordinarij auctoritate expeditæ, necnon pro quocunque Beneficio Eccleſiaſtico, in hacce noſtra Diœceſi conceſſæ, atque traditæ, per eumdem Cancellarium tranſcribantur. Alium denique codicem nomina referentem, & cognomina, muneraque, & officia quorumlibet patentatorum Tribunalis Eccleſiaſtici, & eorum adhuc, qui in Ciuitate, ac cæteris Diœceſis locis officia, ſine noſtra licentia exercere nequaquam poſſunt; in huiuſce itidem libri principio, proprias, & peculiares patentium litterarum quibuſuis officijs accomodatas formulas, pro illarum dumtaxat expeditione inſeruituras, aliaſqae in præſentis Synodi conſtitutionibus ordinatas, præſcribi volumus.

§. XI. Omnes præmemorati codices, ſiuè libri, ſuas habeant peculiares rubricas, litteris inſuper maiuſculis à tergo præſignentur, quibus materiæ in ipſis contentæ innoteſcant, & ſingula eorum folia arithmeticis figuris connotentur. Vt autem præmiſſa omnia debita exequutione fruſtrari neutiquam contingat; Vicarij noſtri Generalis curæ committimus, vt ſingulis ſex menſibus præfatos libros recognoſcere non prætermittat, & ſi illos in aliquo deficientes compererit, in eiuſmodi deficientiæ reos arbitraria pœna animaduertat.

§. XII. Iura ſiuè ſcripturas productas, cuiuſcunque generis exiſtant, à Cancellaria extrahere,

Z 2 vel

vel alicui originaliter tradere penitùs caueat, præterquam ad partis inſtantiam, & tunc relicto tranſumpto, eoque de verbo ad verbum collato; alijs verò nullum in cauſis intereſſe habentibus, earum exemplaria petentibus, illa indulgere paſſim poterit.

§. XIII. Inuentarium omnium ſcripturarum, atque librorum, in eadem Cancellaria exiſtentium, & quocunque modo ad ipſam ſpectantium conficere non negligat, ad cuius calcem, atteſtationem de cunctis ibidem adnotatis, ab ipſoquemet receptis ſuperadiungat, illudque in Archiuio noſtro Epiſcopali conſeruandum reponat, ſecùs officij priuationis pœnæ ſuccumbat. Eaſdem inſuper ſcripturas, atque libros, ſic, vt præfertur adnotatas, & reſpectiuè deſcriptos, in ſui muneris periodo reddere, & conſignare teneatur; ſi quis autem quampiam ex præmemoratis ſcripturis ſubripuerit, vel poſt habitam huiuſce noſtræ Synodalis Conſtitutionis notitiam, ſubreptas, ac extractas retinuerit, pœnis in iure communi contentis, obnoxium fore nouerit, ac etiam arbitrarijs.

§. XIV. Pro Epiſcopali Archiuio, armarium in Cancellaria appoſitè conſtructum adeſſe volumus, duabus clauibus munitum, quarum vnam Vicarius noſter Generalis, alteram verò ipſemet Cancellarius retineat.

Eo-

§. XV. Eodem in Archiuio, omnes, & quæcunque ſcripturæ, ad Menſam noſtram Epiſcopalem ſpectantes, cæteræque, quas deſuper cuſtodiri mandauimus, vnà cum libris aſſeruentur.

§. XVI. Excommunicationum monitoria ad effectum reuelandi, niſi pro re graui, ſummaque notabili, & quatenus aliundè probationes haberi non valeant, à Vicario noſtro Generali non concedantur.

§. XVII. Quicunque mandatarij, tam Ciuitatis Albanenſis, quàm aliorum huius noſtræ Diœceſis locorum, in cauſis Eccleſiaſticis eorum officio, adhuc nulla temporalium Dominorum, vel eorundem Miniſtrorum requiſita licentia fungi teneantur, & reluctantes excommunicationis pœnæ obnoxios fore ſciant. Prohibentes verò, vel illos quouis modo impedientes, cenſuris in Bulla Cœnæ inflictis ſubiaceant. Vbi verò citationes intimare, aliaſuè Tribunalis noſtri expeditiones, eos exequi contigerit, maiorem ea, quæ iuxtà cuiuſque loci morem, ſolui conſueuit, extorquere mercedem non præſumant.

§. XVIII. Curiæ noſtræ Baroncellus, carceribus mancipatorum, & præſertim eorum, qui in ſecretis detinentur, indigentiæ, maximè verò quoad vitæ ſuſtentationem, proſpicere non negligat, quod ſi aliquem infirmari contigerit, Vicarium

no-

noſtrum Generalem illico moneat, vt de opportuno remedio conſulere valeat.

§. XIX. Taxam à Nobis præfixam ſeruare in votis habeat, nihilque vltrà taxatam ſibi mercedem, à quopiam recipere audeat, ſub pœna dupli reſtituendi eidem, à quo nimiam indebitè recepit, alijſque arbitrio noſtro iniungendis, quibus ſanè irremiſſibiliter mulctandum ſciat, quotiès quidquam ab aliquo quauis de cauſa iniuſtè extorſerit.

§. XX. Pignora in exequtionibus ſublata, depoſitario Curiæ noſtræ infrà vnius diei terminum conſignet, & ſingularum relationem in actis Cancellariæ confeſtim faciat; quam, ſi neglexerit arbitraria pœna corripietur, & ſi nonnulla ex illis deperdantur, eorum pretium de proprio contribuere teneatur.

§. XXI. Pauperum Procurator ad miſerabilium perſonarum cauſas in Ciuitate Albanenſi, & vniuerſa Diœceſi non modò promouendas, ſed vt expeditè diſcutiantur, ac terminentur ſollicitè curandum; Carceribus inſuper, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus mancipatos, non raró inuiſendos, vtquè mitiùs, quantùm fas eſt, tractentur, ſtudioſè ſatagendum omninò conſtituatur, cui ſanè ſic conſtituto, omnes, ac ſingulas ad eiuſmodi munus exequendum opportunas, ac neceſſarias facultates conferimus, noſtroque Vicario Generali iniun-

iniungimus, vt congruum eidem ſtatuat ſtipendium, ex pecuniarijs mulctis deſumendum: Iudices proindè Eccleſiaſticos monemus, necnon ſæculares perhortamur, quatenus illum, tàm commendabile pietatis opus exercentem, æquo, libentique animo excipiant, ſeſeque ad eidemmet ſancto operi ex debito ſuffragandum, promptos exhibeant.

§. XXII. Vicarios Foraneos (queis, ad hoc, vt vniuerſo populo, paſtorali curæ noſtræ concredito, per varia Diœceſis loca diffuſo prouidè conſuleremus, partiale Iuriſdictionis noſtræ munus commiſimus) in omnibus, quæ eorum officium reſpiciunt, tanquàm noſtras viceſgerentes, à ſingulis reſpectiuè Archipresbyteris, Canonicis, cæteriſque Sacerdotibus, quacunque dignitate fulgentibus, non modò debito, congruoque honore coli, verùm etiam in actibus ſibi collati muneris exercendis, iuriſdictione frui, eiſdemque obedientiam præſtari volumus, non equidem diffidentes, ipſos haud minus morum probitatis, & vitæ integritatis exemplo, quàm zelo, vigilantia, necnon auctoritate profuturos.

§. XXIII. Cauſas criminales in locis eorum Iuriſdictionis, ſiuè priuatiuè, ſiuè præuentiuè, ad Forum noſtrum ſpectantes, tàm ex officio, quàm ad partis inſtantiam recipere non prætermittant, & coràm Notario, vel duobus probis viris (vbi

No-

Notarius haberi non poteſt) illius defectum ſupplentibus, proceſſum informatiuum condant, eumque ad Vicarium noſtrum Generalem quamprimùm tranſmittant, potiſſimùm verò ſeſe in ijs cauſis, quæ grauiores ſunt, vel præuentionem admittunt, ſollicitos exhibere, præfatumque Vicarium noſtrum ſine cunctatione certiorem reddere curent.

§. XXIV. Cauſas autem ciuiles, ſummam ſcutorum trium non excedentes iudicare, & per ſententiam definire valeant; ſi verò maiorem ſummam importent, vſque ad ſententiam excluſiuè, obtenta tamen noſtra licentia, procedere queant, niſi aliter iudicij neceſſitas ſuaſerit, quam ſanè, omni ſecluſa mora, pronunciare teneantur.

§. XXV. In reliquis frequenter, & ſigillatim prælibatum Vicarium noſtrum Generalem, vel Nos, ſi ſic negotij grauitas exegerit, commonere non negligant, præcipuè verò circa ea, quæ maiorem exigere cenſentur animaduerſionem, quæue per ſeipſos exequi prorſus caueant niſi vel vrgens neceſſitas ſecus efflagitauerit, vel noſtra licentia præceſſerit; cuncta tandem, quæ ad eorum officium pertinent, quæue præſertim in Inſtructione, ad calcem præſentis Synodi inſerenda continentur, ſolerter exequi ſtudeant.

C A-

CAPVT VLTIMVM.

De Synodalium Decretorum Obſeruantia.

§. I. COnſtitutionum Synodalium (quas ad Diuinum in hac noſtra Diœceſi cultum promouendum, & ad gregis curæ noſtræ paſtorali concrediti optimam directionem ſanciuimus, & promulgauimus) obſeruantiam ex animo peroptantes, quantùmque in Domino poſſumus, illibatam, & inconcuſſam conſeruare in votis habentes, volumus in primis, vt iuxta varias, circa quas verſantur materias, omnes, ac ſingulos, tam Laicos, quàm Clericos, ſiuè ſæculares, ſiue Regulares cuiuſcunque gradus, & dignitatis proportionaliter afficiant, necnon obligent, non ſecùs ac ſi vnicuique ſpecificè, & perſonaliter fuiſſent intimatæ.

§. II. Vt autem nullo vnquam tempore in obliuionem eas abire contingat, neue earumdem aliquando allegari valeat ignorantia, omnes, & ſinguli Diœceſani Presbyteri, cunctique Clerici vnum ex impreſſis illarum exemplaribus, penes ſe ſemper habere curent, ſingulaque in ſingulis Archiuijs, tam Cathedralis, quàm Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum conſeruari, & cuſto-

diri mandamus, adhoc, vt quoties requiſita fuerint, in promptu queant exhiberi, non exhibentes autem, vel ea retinere non docentes, ſi Capitulares fuerint, pœnæ ſcutorum viginti quinque, ſi verò Parochi, ſcutorum decem ſuccumbant.

§. III. Solertiſſimæ Vicarij noſtri Generalis vigilantiæ præſentium Synodalium Conſtitutionum exequutionem totis viſceribus, atque præcordijs commendamus, eique iniungimus, vt in promouenda, necnon conſeruanda earum obſeruantia (vndè Eccleſiaſticæ, atque laicalis diſciplinæ ratio dependet) omni prorſus affectu, reſpectuque poſthabito, inconcuſſum zelum, accuratam prudentiam, & omnimodam ſibi delegatam auctoritatem adhibeat; quoties autem circa illarum aliquam, vel aliquas nonnullæ emergant difficultates, eas ad nos deferre non cunctetur, niſi pro temporis circumſtantia, & rei exigentia, quidquam interim, iuxtà ſuam conſcientiam, de iniuncta obſeruantia remittendum duxerit.

§. IV. Ipſummet Vicarium noſtrum Generalem eadem potiri volumus facultate, quæ in præſentibus Conſtitutionibus reſeruata Nobis aſſeritur, niſi fortè nominatim, ac ſpecificè aliquando fuerit excluſus, vel aliqua reſeruatio per particulas taxatiuas *dumtaxat Nobis* excepta fuerit.

§. V. Pro delictorum grauitate, & tranſgreſſio-

ſionum menſura, ad pœnarum in Synodalibus decretis præſcriptarum exactionem procedat, vbi verò nulla certa apparet appoſita pœna, nec vlla noſtro præcisè arbitrio reſeruata, trium ſcutorum mulcta cenſeatur iniuncta, illius tamen arbitrio nullatenus reſtricto, eam ad maiorem ſummam, pro ſua conſcientia, & reatus pondere extendendi; Omnes cæteroquin, & quaſcumque alias pœnas per Sacra Concilia, Apoſtolicas Conſtitutiones, & Diœceſanas Sanctiones, ſuper qualibet tranſgreſſione impoſitas, & eas præcipuè reſeruatas volumus, remittique vetamus, quas in quibuſlibet anteactæ viſitationis noſtræ decretis præſcripſimus, dummodò rationabili, iuſtaque de cauſa, in præſenti Synodo nominatim moderatæ nequaquam fuerint.

§. VI. Vicarijs etiam Foraneis committimus, vt iuxtà proprias ipſis concreditas facultates, ſuper præſentium Conſtitutionum obſeruantia, ſedulò inuigilare ſtudeant, & in caſibus à iure permiſſis, aduerſus tranſgreſſores animaduertant; vbi verò earum aliquas reparare nequeant, rem quantociùs ad Vicarium noſtrum Generalem deferre non prætermittant.

§. VII. Teſtibus in hac noſtra Synodo deputatis, quamuis nullam Iuriſdictionem exercentibus, accuratam, & nunquam ab eis intermitten-

dam vigilantiam commendamus, quos etiam, atque etiam perhortamur, quinimò & ipſis præcipimus, vt veluti Eccleſiaſticæ diſciplinæ Zelatores, eiuſdemque conſeruandæ ſtudioſiſſimi, diſcretè, ac fideliter ea omnia ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem deferant, quæ Vicarijs Foraneis, circa Sanctionum Synodalium exequutionem demandata ſunt.

§. VIII. Per haſce porrò Synodales conſtitutiones noſtras, nihil prorſus derogatum intendimus generalibus, ſeu particularibus Prædeceſſorum noſtrorum decretis, tam in Synodis, quàm in viſitationibus aliàs conditis, & præſertim præclaræ memoriæ Cardinalis Borgiæ, ea parte dumtaxat excepta, in qua quidquàm iuſtis de cauſis expreſsè immutandum, vel moderandum viſum Nobis fuerit. Sanctionibus itidem Sacrorum Conciliorum, Summorum Pontificum conſtitutionibus, cæteriſque Canonicis Legibus indefectibilem, atque inconcuſſam, ſemper adhibendam fore obſeruantiam, ſeriò pronunciamus.

§. IX. Quoniam verò experientia rerum omnium magiſtra edocemur, nunquam ſatis fore prouiſum ſuper legum obſeruantia, quin ex humana fragilitate, vel etiam malitia in earum tranſgreſſionem plerique ruant, inde eſt, vt conditarum à Nobis præſentium Synodalium conſtitutionum

vigo-

vigori conſolidando, vlterioribus medijs conſulamus. Quo circa ad vberiorem earundem obſeruandarum prouiſionem, præſenti decreto ſtatuimus, decernimus, atque mandamus, vt bis in anno, menſibus nimirum Ianuarij, & Iunij, diebus autem à Vicario noſtro præſignandis, coram eodem in Ciuitate Albani, omnium, ac ſingulorum Diœceſis noſtræ Foraneorum Vicariorum fiat congregatio, in eaque, iuxtà Inſtructionem ex libro formularij Cancellariæ noſtræ Epiſcopalis extrahendam, & ſingulis tradendam, ſuper præſentium Conſtitutionum obſeruantia ſpecialiter interrogentur; vbi verò aliqua comperta fuerit deficientia, efficaciora, necnon opportuniora, quæ excogitari poterunt media, adhibeantur. Eamdem diligentiam bis pariter in anno ipſummet Vicarium noſtrum Generalem adhibere volumus, teſtes nempè circà præfatam Conſtitutionum, ac decretorum obſeruantiam ſigillatim interrogando.

§. X. Sacroſanctæ denique Romanæ Apoſtolicæque Sedis iudicio (quam veluti infallibilem magiſtram, ac incomparabilem matrem colimus, atque veneramur) omnia, & ſingula in hacce noſtra Synodo ſancita, emendanda, & corrigenda, omni, qua par eſt humilitate ſubijcimus, eademque à Nobis, & Succeſſoribus noſtris pro temporum differentijs immutanda, & vti congruum

viſum

viſum fuerit, declaranda, interpretanda, ac diſpenſanda, aliaque arbitrio noſtro, eorundemque Succeſſorum noſtrorum ſuperaddenda, ſeù aliqua detrahenda reſeruamus.

Deo Omnipotenti,
Beatiſſimæ Virgini Mariæ,
ac
Sancto Martyri Pancratio
Cathedralis Eccleſiæ Titulari, & Vniuerſæ
Diœceſis Patrono
Gloria, & Laus perennis.

NOTA-

NOTARII SYNODALIS ROGITVS.

PRæſcriptæ Conſtitutiones, & Synodalia decreta, ſæpius in priuata Congregatione, à Viris doctrina, prudentia, ac pietate præſtantibus ſedulò, ac maturè diſcuſſa, præſidente Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Domino FLAVIO miſeratione Diuina Epiſcopo Albanenſi Cardinali CHISIO, & coram vniuerſo Ciuitatis, & Diœceſis Albanenſis Clero, in Cathedrali Eccleſia Sancti Pancratij, ſeruatis de more ſeruandis, legitimè congregato, per R. D. Dominicum de Doctis eiuſdem Eccleſiæ Canonicum Iuris vtriuſque Doctorem, & præſentis Synodi Secretarium alta, & intelligibili voce lecta fuerunt, & nemine diſcrepante, ſolitis acclamationibus approbata, atque publicata, Anno à Sanctiſſima Natiuitate Domini Noſtri IESV Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſeptimo, Indictione Decima, Die vero vigeſimaquinta, vigeſimaſexta, & vigeſimaſeptima Maij; Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini

IN-

INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ Vndecimi, Anno Vndecimo, multis ibidem præſentibus, & audientibus, & ſignanter Domino Auguſtino Lotto filio quondam Dominici Romano, & Franciſco Lucarello filio quondam Marinangeli de Albano Teſtibus ad præmiſſa omnia habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ità eſt. Ego Ioannes Bernardinus Porcarolus de Caprarola publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, & ad præſens Curiæ Epiſcopalis Cancellarius, Notarius Synodi rogatus.

Loco ✝ Sigilli.

EDI-

EDICTVM
DE PVBLICATIONE SYNODI.

FLAVIVS EPISCOPVS
ALBANENSIS
S. R. E.
CARDINALIS CHISIVS.

HOc præſenti authentico Edicto, ad valuas Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Sancti Pancratij affigendo, publicantur omnia, & ſingula acta, ac decreta facta in Synodo Diœceſana per Nos, ſeruatis ſeruandis; habita de menſe Maij Ann. 1687., diebus vigeſimaquinta vigeſimaſexta, & vigeſimaſeptima, vt ea omnes, ad quos ſpectat, ſeruare ſtudeant; volentes, quod infra duos menſes à die promulgationis præſentis Edicti, prædictos omnes afficiant, & adſtringant, ac ſi ſingulis fuiſſent ſi-

gillatim, & perſonaliter intimata; ideo &c. ne de prædictis ignorantiam, &c. alias, &c. Datum Ariciæ die prima Decembris 1688.

Flauius Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Chiſius.

Loco † Sigilli.

Ioannes Bernardinus Porcarolus Cancellarius.

PRI-

PRIMA APPENDICE
DELLE PROMVLGATIONI, CHE DEVONO FARSI DA' CVRATI

Inter Miſſarun Solemnia.

INDICE
DELLA
PRIMA APPENDICE

Verſante circa le promulgationi, che deuono farſi da Curati inter Miſſarum Solemnia.

Tauola degl'ordini, ch' in eſſecutione del Sinodo Dioceſano deuono in ciaſchedun'Anno publicarſi nelli giorni, che in eſſa ſtanno notati: pag. 199.

Indice, e dichiaratione dell'impedimenti del Matrimonio, quali deuono reuelarſi, quando occorrono, e proibitione alli Spoſi di conuerſare inſieme prima di contraerlo. pag. 203.

Editto per li Laici. pag. 211.

Editto per la veneratione delle Chieſe. pag. 220.

Editto contro gl'Vſurpatori, e mali Amminiſtratori delli beni delle Chieſe, e Luoghi Pij. pag. 225.

Editto contro quelli, che non ſodisfanno li Legati, & altre pie diſpoſitioni. pag. 231.

Editto per l'oſſeruanza delle Feſte. pag. 234.

Editto del Sant'Officio, e Sommario della Bolla del

del B. Pio V. contro li Biaſtemiatori. pag. 241.
Editto contro l'vſure, & altri contratti illeciti. pag. 249.
Editto per l'oſſeruanza della Quadrageſima. p. 256.
Editto dell'obligo di ſodisfare al precetto della Chieſa, con la Confeſſione, e Communione in tempo di Paſqua. pag. 260.
Comminatione di Scommunica contro tutti quelli, che non haueranno ſodisfatto al precetto della Communione nella Santa Paſqua. pag. 265.
Formula della publicatione per quelli, che vogliono prendere la prima Tonſura, ò promouerſi agl' Ordini Minori, ò Sacri. pag. 267.

TA-

TAVOLA
DEGL'
ORDINI

Ch'in eſſecutione del Sinodo Dioceſano, deuono in ciaſchedun' Anno publicarſi nell' infraſcritti giorni dalli Parochi della Città, e Dioceſi d'Albano, nelle ſolennità delle Meſſe Conuentuali, e Parocchiali, ſotto pena, à coloro, che tralaſciaranno di far tali publicationi, d'vn ſcudo per ciaſcheduna volta.

Domenica Seconda di Gennaro.
Domenica in Albis.
Indice dell'impedimenti del Matrimonio, e loro dichiaratione, obligo di riuelarli, e proibitione alli Spoſi di conuerſar' inſieme auanti di contraerlo.

Domenica prima di Febraro.
Domenica prima d'Agoſto.
Editto per li Laici.

Do-

Domenica prima di Marzo.
Domenica prima di Settembre.
Editto per la veneration delle Chieſe.

Domenica prima d'Aprile.
Domenica quarta di Settembre.
Editto contro gl'Vſurpatori, e mal'Amminiſtratori de' beni Eccleſiaſtici.

Domenica prima di Maggio.
Giorno feſtiuo di tutti li Santi.
Editto contro coloro, che non ſodisfanno li Legati pij, ò altri oblighi, e reſtitutioni douute alle Chieſe, e Luoghi pij.

Terzo giorno di Pentecoſte.
Domenica Secunda d'Ottobre.
Editto per l'oſſeruanza delle feſte.

Domenica prima di Giugno.
Giorno feſtiuo di S. Tomaſo Apoſtolo.
Editto del Sant'Offitio, e Sommario della Bolla del Beato Pio V. contro li Beſtemmiatori.

Domenica prima di Luglio.
Domenica prima di Decembre.
Editto contro l'vſure, & altri contratti illeciti.

Domenica prima di Quadrageſima.
Editto per l'oſſeruanza della Quadrageſima.

Domenica di Paſſione.
Editto dell'obligo di ſodisfare al precetto della Chieſa con la Confeſſione, e Communione in tempo di Paſqua.

In ciaſcuna delle tre Feſte della Santiſſima Pentecoſte.
Comminatione di ſcõmunica contro tutti quelli, che non haueranno ſodisfatto al precetto della Communione nella Santa Paſqua.

Quindici giorni auanti l'Ordinationi:
Doueranno li Parochi de gl'Ordinandi fare la publicatione di coloro, che s'haueranno da promouere agl'Ordini, tanto Minori, quanto Sacri, e l'iſteſſo douerà farſi in ordine à quelli, che vogliono prendere la prima Tonſura.

In tutti li Giorni Feſtiui.

Doueranno li Parochi (riflettendo all'obligo ſtrettiſſimo, che tengono, e lor viene in più luoghi del Sacro Concilio di Trento incaricato, con pena anco di ſcommunica contro li contumaci) iſtruire con deuoto, efficace, e facile diſcorſo il popolo, giuſta la capacità del medeſimo, à proportione di ciò, che ſtà diſpoſto nel preſente Sinodo ſotto il Titolo *de Parocho*.

IN-

INDICE E DICHIARATIONE

Dell'impedimenti del Matrimonio, che deuono riuelarſi, quando occorrono, e Proibitione alli Spoſi di conuerſar inſieme, auanti di contraerlo.

GL'impedimenti del matrimonio, che impediſcono il contraerlo, & annullano il contratto, ſono compreſi nelli ſeguenti verſi.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen.
Cultus Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas.
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia Teſtis.
Raptauè ſit Mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant Connubia, facta retractant.

Error.

Il primo è l'Errore, circa la ſoſtanza della perſona, cioè, ſe io intendo di fare parentela con Berta, e la fò con Antonia, ò vero intendo di far parentado con la primogenita, e me ne vien data vn'altra. In queſti caſi, e ſimili, il Matrimonio è nullo. Mà ſe l'errore foſſe circa la qualità della

perſona, come à dire, che credeuo foſſe bella, e ricca, mà il fatto non ſtà così, il Matrimonio è valido, purche non habbia inteſo pigliarla con conditione fuſſe tale.

Conditio.

Il ſecondo è la Conditione, cioè, ſeruile, come à dire, ſe vno ſi apparenta con vna Schiaua, che credeua eſſer Libera, eſſendo egli Libero, il matrimonio non tiene; il medeſimo è, ſe la donna libera piglia vno ſchiauo, il che ſe ſapeſſe, non lo farebbe.

Votum.

Il terzo impedimento è il Voto ſolenne fatto per profeſſione eſpreſſa, ò tacita in vna Religione approuata, ò nel pigliare gl'Ordini ſacri; onde ſe vn Religioſo profeſſo, ò vn Ordinato in ſacris prendeſſe moglie, il matrimonio ſarebbe nullo.

Cognatio.

Il quarto impedimento è la Parentela, la quale è in tre modi, cioè Naturale, Spirituale, e Legale; la Naturale toglie, & impediſce il Matrimonio inſino al quarto grado incluſiuè, e facendo il Matrimonio con tale impedimento, ſono ſcommunicati, ſe l'ignoranza non li ſcuſa. La Parentela ſpirituale ſi contrae con li Santi Sacramenti del Batteſi-

teſimo, e della Creſima, la qual Parentela impediſce, & annulla il Matrimonio trà quello, e quella, che tiene al Batteſimo, ò Creſima; e quello, e quella, che è battezzato, ò Creſimato, e ſimilmente trà il Padre, e la Madre del medeſimo, & anco trà quello, che battezza, in caſo, che per neceſſità ſia vn Laico. La Parentela legale è vna propinquità, che naſce dall'adottione, e queſta hà tre gradi. Il primo è degl'aſcendenti, e diſcendenti, cioè dell'adottante, e dell'adottato, e diſcendenti dall'adottato, e queſto impedimento non ſi toglie per ſlegamento dell'adottione, nè per l'emancipatione.

Il ſecondo è quaſi traſuerſale, cioè frà l'adottato, e li figliuoli naturali dell'adottante, durante l'adottione, e ſtando il figliuolo naturale nella poteſtà del padre, e non altrimente.

Il terzo grado è vna certa affinità legale, cioè trà la moglie dell'adottato, e l'adottante, e tra l'addottato, e la moglie dell'adottante, la quale dura perpetuamente, come la prima, e ciaſcheduna di queſte parentele impediſce, & annulla il Matrimonio.

Crimen.

Il quinto impedimento è il Delitto, e queſto è di due ſorti. Il primo è, ſe vno ammazza il mari-

to,

to, con intentione di contrarre Matrimonio con la moglie di lui, il qual'homicidio fatto con conſenſo d'ambe le parti, impediſce, & annulla per ſempre, come impediſce, & annulla ancora il Matrimonio, ſe vno ſolo delli conſorti machina la morte dell'altro, purche v'interuenga l'adulterio, che altrimente non impedirebbe. L'altro impedimento è l'adulterare ſcientemente con la moglie d'altri, e contrarre con eſſa Matrimonio, viuente l'altro conſorte, ò vero promettere di contrarre, il che impediſce, & annulla, ancorche il primo Matrimonio non foſſe ancora conſumato.

Cultus Diſparitas.

Il ſeſto impedimento è la diuerſità della Religione, perche trà il battezzato, e quello che non hà il Batteſimo, non può eſſere Matrimonio, non potendoſi riceuere Sacramento alcuno ſenza il Batteſimo. Mà puol'eſſere Matrimonio con li battezzati, benche foſſero eretici, ſcommunicati, & apoſtati, eſſendo il Matrimonio valido, benche illecito, e ſi faccia male à contrarre con eſſi.

Vis.

Il ſettimo è la forza, ò vero la violenza, quando alcuno è forzato, ò violentato à contrarre Matrimonio, volendo la Santa Chieſa, e la ragio-

ne

ne naturale, che li matrimonij ſiano liberi.

Ordo.

L'ottauo impedimento è l'Ordine ſacro, e ſe alcuno hauendo l'Ordine ſacro, contraeſſe, non tiene, mà reſta ſcommunicato.

Ligamen.

Il nono impedimento è quando alcuna perſona hà moglie, ò marito, perche non può contrarre altro Matrimonio.

Honeſtas.

Il decimo impedimento naſce dal matrimonio rato, e non conſumato, e dalla giuſtitia della publica honeſtà, la quale hà principio dalli ſponſalitij, cioè, quando ſi promette di douerſi in futuro pigliare per marito, ò per moglie; e queſto impedimento conſiſte in vna proibitione canonica, la quale annulla (ſe i ſponſalitij ſono validi) il Matrimonio, che l'vno, ò l'vna di detti promettenti contraeſſe con qualche parente nel primo grado dell'altro, ò dell'altra.

Si ſis Affinis.

L'vndecimo impedimento è l'Affinità, la quale non è altro, che vn'approſſimatione di perſona, che

che naſce dalla copula carnale, che manca d'ogni parentado; e ſe la copula ſarà lecita, come quella del Matrimonio, impediſce ſino al quarto grado incluſiuè, ſe ſarà illecita, ſino al ſecondo grado anco incluſiuè.

Si fortè coire nequibis.

Il duodecimo è l'impotenza di poter conſumar'il Matrimonio, ò che proceda da ragion naturale, ò accidentale, purche ſia perpetua.

Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis.

Il decimoterzo impedimento è, quando ſi celebraſſe il Matrimonio ſenza la preſenza del proprio Paroco, e di due teſtimonij.

Raptauè ſit Mulier, nec parti reddita tutæ.

Il decimoquarto impedimento è, quando alcuno rubbaſſe vna donna, e mentre ſtà in ſua poteſtà, contraeſſe con quella de facto Matrimonio, il detto Matrimonio ſarebbe nullo; mà ſe primá la poneſſe ſeperata da ſe in luogo ſicuro, e libero, e quella lo voleſſe per ſuo marito, il matrimonio ſarebbe valido.

In oltre il difetto dell'età di quattordici anni compiti nell'huomo, e di dodici parimente compiti nella donna, impediſce, & annulla il Matrimonio,

nio, ſe la malitia, ò prudenza da giudicarſi dall'ordinario non ſuppliſce à tal difetto.

Che per tanto quando ſi denunciano li Matrimonij da contraerſi, ſi ammoniſce ciaſcheduno, che hauerà notizia di ſimili impedimenti, che ſiano trà li contraenti, ò in alcuno d'eſſi, ſotto pena di ſcommunica da incorrerſi *ipſo facto*, a douerli riferire al proprio Paroco, al più lungo doppo la terza denuntia, ò dopò quella che ſi dirà eſſer l'vltima; auuertendoſi inparticolare, che niuno ardiſca ſotto graui pene, denuntiar malitioſamente vn'impedimento, quale ſappia eſſer falſo, ò non ſuſſiſtente, ad effetto di ſoſpendere, & interrompere la celebratione del Matrimonio.

S'incarica in oltre alli ſpoſi, e loro padri, e madri, che dopò contratti li ſponſali de futuro in voce, ò in ſcritto, auanti la celebratione del Matrimonio, non ardiſchino praticare, e molto meno cohabitare aſſieme ſotto pena di ſcudi venticinque, all'eſecutione della quale ſi procederà con ogni rigore, aſſegnandoſene la terza parte al ſegreto accuſatore; & anco ſi proteſta alli medeſimi padri, e madri il rigore della Diuina vendetta, per tutti quelli ſcandali, che potranno ſuccedere, quando permettino vna tal pratica, e conuerſatione; & ad effetto d'impedirla, terminate le denuntie, procureranno ſi proceda ſpeditamente allo ſtabilimen-

to del matrimonio, che ſe non ſi effettuarà frà due meſi, douranno da capo publicarſi tutte tre le medeſime denuntie.

S'auuerte in fine à tutti li maritati, che ſe dopò contratto il Matrimonio ardiranno, ſenza la debita licenza, di ſepararſi, e viuere diuiſi d'habitatione gl'vni dagl'altri, oltre le pene preſcritte dalli Sagri Canoni, ſaranno eſcluſi dal riceuere li Santi Sagramenti, e contro di eſſi, quando ſiano oſtinati, ſi fulmineranno le ſcommuniche.

EDITTO
PER LI LAICI, &c.
FLAVIO
CARDINAL CHIGI

Per la Miſericordia Diuina Veſcouo d'Albano.

DEſiderando Noi grandemente, che dalli fedeli alla noſtra cura commeſſi, s'adempiſcano li precetti, & ammonitioni dateli nel noſtro Sinodo; E perche dalle perſone laiche non così facilmente s'hauerà d'eſſi intiera notitia, habiamo voluto ridurli in compendio, e notificar loro alcuni ordini più preciſi, che gli ſpettano, accioche l'eſeguiſcano (ſecondo l'obligo, che per ſalute dell'anime proprie deuono à Noi d'obedienza, e che non poſſono ſenza peccato diſprezzare) ſotto le pene in eſſo Sinodo contenute.

E prima, accioche da principio, che ciaſcuno naſce alla luce di queſto mondo (ammeſſo per la porta batteſimale à riceuere il carattere di Gieſù Chriſto) poſſa qual ſuo fedele intraprendere la via del-

della ſalute, vogliamo, & ordiniamo alli ſuoi genitori, che prontamente lo deuano portare alla Chieſa à fare battezzare, ſotto pena di ſcommunica, quando differiſchino oltre otto giorni da quello della naſcita, che ſe auanti il Batteſimo ſi dubitarà della di lui vita, potrà in tal caſo, anzi ſarà tenuto ciaſchedun fedele, in mancanza d'altri, ancorche laico, battezzarlo, con infonderli ſopra acqua pura, e dire le parole preſcritte dalla Santa Chieſa, che ſono: *Io ti battezzo in Nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo*, con intentione di far quello, che fà l'iſteſſa Santa Chieſa, e quando che ſoprauiua, ſi dourà traſportare alla Chieſa, per adempire le ſolennità conſuete. Sarà anco peſo delli medeſimi genitori, quando ſiano ſtati battezzati i loro figli in altra Chieſa fuori della ſua Parrocchiale, il portarne quanto prima la fede per *extenſum* al proprio Paroco, che la regiſtrarà nelli libri parrocchiali, e dal tempo, che ſarãno nati i loro figli, per il termine d'vn'anno, auuertino li medeſimi padri, e madri, di non ritenerli nel proprio letto ſenza guardiola, ò riparo, che quando gliene ſortiſca qualche funeſto accidente, e ſpecialmente di morte, ſaranno da Noi ſeueramente puniti.

E perche in eſſi fanciulli, col creſcere dell'età, ſi vada ſempre augumentando il ſanto timor di Dio,

Dio, e la cognitione delle coſe ſpirituali, ſappiano li medeſimi padri, e madri, che tengono obligo ſtrettiſſimo d'inſtruirli ben da principio negl'articoli principali della Fede, e nella deuotione verſo Dio, e la Madre Santiſſima, e loro Angelo cuſtode, e nelli buoni coſtumi, e deuono ancor ſpeſſo condurli alla Chieſa, & in particolare la Domenica li manderanno nell'hora preſcritta dal Paroco ad imparare la Dottrina Chriſtiana, e per ciaſcheduna volta ve li mandino, col recitare cinque *Pater*, & *Aue*, e *Salue Regina*, acquiſteranno cento anni d'Indulgenza; che ſe traſcureranno vn negotio di tanta importanza, doueranno darne ſtrettiſſimo conto à Dio nel giorno del Giudicio, e di vantaggio, ſecondo la contumacia, ſaranno da Noi caſtigati.

S'ammoniſcono in oltre tutti, e ciaſcheduno, che non ſaprà il *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Credo*, *e dieci Comandamenti*, qualmente non potrà in auuenire eſſer'ammeſſo per compadre, ò commadre nel Batteſimo, ò Creſima, e ſarà ancor trattenuto nel ſpoſarſi, ò vnirſi in Matrimonio; & à tal'effetto quei che voranno contrarre Matrimonio, ſaranno antecedentemente, e con eſatta diligenza eſaminati dalli Parochi, e ſecondo la qualità della loro ignoranza, ò traſcuraggine in apprenderli, à loro ſarà ancora da' Confeſſori ſoſpeſa, e dif-

differita l'aſſolutione: Onde s'eſortano nel Signore le perſone, quantunque auanzate nell'età, che ignoraſſero detti rudimenti della fede, à non viuere così ſcordati dell'eterna ſalute, e delli miſterij oprati da Gieſù Chriſto Signor noſtro à noſtro beneficio, mà che ne' tempi à loro più commodi, vadano frequentemente ad apprenderli dalli proprij Parochi, ò altri Sacerdoti.

Non traſcurino li genitori, à ſuo tempo, fare arricchire li loro figli delli teſori de'Santi Sagramenti; e perciò quando quelli arriuano ad hauer lume di ragione, comincino à farli confeſſare, inſtruendoli circa il modo di fruttuoſamente riceuere queſto Santo Sagramento; paſſati poſcia, che haueranno li ſette anni, procurino ſimilmente far loro conferire il Sacramento della Creſima, e dopò l'età d'anni dodici, più, ò meno, ſecondo la capacità de' medeſimi, inſiſtano appreſſo il proprio Paroco, accioche quando ſtimerà eſſer'opportuno, l' ammetta à riceuere il Santiſſimo Corpo di Gieſù Chriſto, & à tal'effetto li mandaranno più giorni prima da lui per iſtruirli.

Si raccomanda parimente à tutti li fedeli la frequenza de Santi Sagramenti, che la beneficenza di Dio con tanta carità hà conceſſo per noſtro ſpirituale ſoſtentamento, e per accenderci al ſuo Diuino amore; onde eſortiamo ciaſcheduno, che

che ſecondo il noſtro deſiderio, voglia almeno vna volta il meſe purgar l'anima ſua dalle ſordidezze de' peccati, con il Sagramento della Confeſſione, & vnirſi à Gieſù Chriſto Signor noſtro, con riceuere degnamente il ſuo Santiſſimo Corpo; e ſe tal'hora (che Iddio nol voglia) nell'amminiſtratione del Sagramento della Confeſſione, ò pur'auanti, ò doppo immediatamente, ò con preteſto, & occaſione di eſſa, ò finalmente in luogo alla medeſima deſtinato, ardirà alcun Confeſſore ſollecitare, ò tentare li penitenti à peccati ſenſuali, ò vero tener con eſſi colloquij, ò trattati dishoneſti, & illeciti, auuertano li detti penitenti ſollecitati, che non potranno validamente eſſer da altri Confeſſori aſſoluti, ſe non denunciano à Noi, ò pure al noſtro Vicario Generale il Confeſſore, che gl'hauerà ſollecitati; non doueranno però riuelare ſe habbino, ò nò acconſentito alle di lui perſuaſioni.

Se in qualche modo ardirà alcuno diſpreggiare con parole, ò con fatti i Santiſſimi Sacramenti, le Cenſure, ò Riti Eccleſiaſtici, ſappia, che ſecondo la grauezza del delitto, reſtarà da Noi ſeueramente punito; ſi come ſaranno ancora ſcacciati dal riceuere li Santi Sagramenti gl'vſurarij, concubinarij, & altri publici peccatori, & altreſi tutti coloro, che preſumeranno accoſtaruiſi coll'armi adoſſo, in riguardo all'indecenza; e finalmente

le

le donne inhoneſtamente veſtite, e con la teſta non velata.

